m 2. B.

M. Michaelis Ranfftii, V. D. M.

De

MASTICATIONE MORTUORUM IN TUMULIS,

(Oder von dem

Kauen und Schmatzen Der Todten in Gräbern,)

LIBER SINGULARIS:

Exhibens

Duas Exercitationes,

Quarum

Prior

HISTORICO-CRITICA

Poſterior

PHILOSOPHICA

eſt.

LIPSIÆ,

Sumptibus Auguſti Martini, 1728.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFAMEN.

Lector benevole,

HIc ſiſtit ſeſe in forma Tracta-tus, quicquid in priori noſtra Diſſertatione promiſimus. Diu nos apud inferos moratos eſſe non miraberis, cum periculoſum ad eos iter ſit, quod per devia ſola atque deſerta loca ducit. Id ſi nobis modo cognitum fuiſſet, cum prima jam vice ad inferiora terræ loca deſcendimus, evitaverimus forſitan reprehenſionem, qua nos dignos judicavit *Cenſor noſter*, vel quisquis ille eſt, qui *Lipſiam Literatam* haud feliciori cum ſucceſſu evulgavit, quam certi Autores olim *Acta* ſua *Lipſienſium Academica*. Ægre tuliſſe videtur, quod hanc forte diſſerendi copiam *de Maſticatione mortuorum in tumulis*, ipſi præripuerimus: aliàs enim nobis non imputaſſet crimen jactantiæ, quaſi honoris ſaltem & gloriæ cauſa gravem hunc aggreſſi ſimus laborem. Interim ad tumulorum conſpectum non horruimus, ſed bonis ad eos deſcen-

dimus avibus. Nunc iiſdem redimus, probe illius memores, de quo moniti ſumus. Num autem eâdem fortunâ luſi ſimus, qua Orpheus olim, qui Eurydicen ſuam ex inferis productam reſpiciens, eam denuo amiſit, judicent alii. Cenſoris enim noſtri capacitati non multum in hac re tribuimus. Ad lyram tantum natus *non niſi* canoris recreari poteſt vocibus.

Tu vero, BENEVOLE LECTOR,
vale & fave ſtudiis noſtris.

DIS-

DISSERTATIO PRIOR HISTORICO-CRITICA,

In Academia Lipſienſi d. XXVII. Septembr. MDCCXXV. publico eruditorum examini ſubmiſſa

Reſpondente

Chriſtiano Godofredo Cleemanno,

Chemnic. Miſn.

Philoſ. & Theol. Studioſ.

PRÆFATIO.

Miraberis, BENEVOLE LECTOR, cur tale mihi in pagellis hiſce pertractandum ſumpſerim Thema, quod tot tantisque implicitum ſit controverſiis, ut ſane elaborandum mihi ſit in reddenda ratione. Ad PHYSICAM ſpectat, adeoque ad Diſciplinam, cujus miſteria ne optimus quidem rerum naturalium venator perſcrutabitur, etſi per totam vitam die noctuq; ſignorum obitus ſpeculetur & ortus. Quid itaque de me putaveris, qui in ſacrarum literarum ſtudiis verſor & nullus tamen dubitavi, ad inveſtigationem quam maxime occultarum Naturæ virium applicuiſſe animum. Verum cum ad omnia niti omniaque tentare deceat literarum ſtudioſum, Tibi non adeo alienum videbitur, ſi arduam hanc & valde difficilem pro virium tenuitate excutiendam ſuſcepi doctrinam *de Maſticatione mortuorum in tumulis*. Anſam ad eam tractandam nactus ſum maxime idoneam, cum *ex Relationibus Publicis* mihi haud ita pridem ejusmodi innotuerit Naturæ prodigium, quale in mortuo-

rum cadaveribus vix unquam animadverſum eſſe crediderim. Statim mihi tunc apud animum conſtituebam, aliquid de hac re ſpeciminis loco pro publica ventilare cathedra. Sed elaborationem vix aggreſſus, in tantum me veniſſe campum cognovi, ut intra unius duntaxat Diſſertationis cancellos ſubſiſtere non potuerim. Haud iniquo itaque animo patieris, LECTOR BENEVOLE, quod duas Tibi de hac materia exhibiturus ſim Diſſertationes: unam HISTORICO - CRITICAM, alteram PHILOSOPHICAM. Prima eadem eſt, quæ Tibi hiſce jam in conſpectum venit paginis. Laborem non vulgarem quidem, at levidenſem ſane putabis Temporis enim penuria & aliæ circumſtantiæ impedimento fuerunt, ut in eo non, ut fieri debuit, operæ ſtudiique plurimum conſumere potuerim. Spe itaque laudis & jactantia doctrinæ non intumeſco; in hoc ſaltem opellæ hujus pretium feciſſe lætabor, ſi labor meus Tibi non plane inanis fuerit atq; moleſtus. Id quod eo confitentius ſperare jubeor, cum nullus mihi adhuc extitiſſe conſtet Auctor, qui ex profeſſo aliquid de hac materia ſcripſerit, præter M. PHILIPPUM ROHRIUM, *Marck - Ranſtad.* qui itidem Diſſertationem aliquam an. 1679. in hac Alma noſtra Univerſitate ventilavit, quam inſcripſit *Hiſtorico-Philoſophicam de Maſticatione Mortuorum.* Nos multa primum in illa quærebamus, quæ ad noſtram rem facerent, at poſtea vidimus, eam multa quidem benigne pollicitam eſſe, ſed quæ poſthinc exſolvere recuſaverit. Quæ cum ita ſint, noſtrum qualemcunque Tibi commendatum habebis laborem, cujus prima hæc ſi conamina æqui bonique conſulueris, breve poſt tempus, favente Deo, ſolidiora forſitan & meliora a nobis expectabis.

Diſſer-

Diſſertationis hujus Argumentum.

POtentiæ occultæ in Natura. §. 1. Non omnia vel Deo vel Diabolo adſcribenda. §. 2. Rarum Enthuſiaſmi Poëtici exemplum. §. 3. Ab ignorantia rei ad rei negationem non valet conſequentia. §. 4. Mutuus omnium inter ſe corporum & ſpirituum influxus. §. 5. Συμπαθείας & Αντιπαθείας variæ ſpecies. §. 6. 7. Maſticatio mortuorum cur in dubium vocata. §. 8. Orthodoxia notata. Miracula Dei a Mirabilibus Naturæ diſtingvenda. §. 9. Pontificiorum fides miraculoſa vapulans. §. 10. Maſticationis mortuorum exempla. §. 11. Singulare exemplum ex Hungaria. §. 12. Tractationis ratio. §. 13. Maſticatio mortuorum non miraculum divinum. §. 14. 15. 16. 17. Nec mere Diabolicum prodigium. §. 18. 19. 20. 21. Dæmones ſ. ſpiritus intermedii exploſi. Quid iis hic tribuendum. *Garmannus*. §. 22. 23. Falſæ opiniones revelluntur. Mortui num in tumulis mandant. §. 24. Veteres Sarmatæ. Stridor animarum. *Homerus. Diogenes. Laërtius. Lucianus. Sophocles*. §. 25. Quantum ſuperſtitio. Subterranei Fragores unde. §. 26. Meteoron Gothanum. §. 27. Hominum imaginatio. Terror Mortuorum pulſus in tumulis. §. 28. 29. Mortui num devorent veſtes. §. 30 Iudæorum *Azazel* carnivorus. Mus Iudaicus. §. 31. 32. Muhamedani. Angelus mortis. Examen ſubterraneum. §. 33. Spiritus *Eurynomus*. Spiritus *Aſuiti*. *Pauſanias* notatur. §. 34. Animalia carnivora. Hyæna. §. 35. Striges aviculæ ſanguiſugæ. §. 36. Serpentes carnivori. An ex medulla humana. *Wolffg. Franzius*. §. 37. Monumentum Miſenenſe. §. 38. Mortui lintea ſua deuorantes. §. 39 Animantia ſubterranea. Mures. §. 40. Serpen-

tes in cadaueribus humanis. Cauſa mortuorum voracitatis. §. 41. 42. Sexus fœmininus. *Rohrius & Pitzſchmannus* notati. Rationes ſuperſtitioſæ. *Schlüſſelburgius. Garmannus*. §. 43. 44. Maſticatio mortuorum tempore peſtis. §. 45. Diabolus peſtis cauſa. Terror quantum in contagio? *Rivinus. Helmontius. Geyerus*. §. 46. 47. Turcæ peſtem non timentes. *Carl.* Vom Peſt-Engel. §. 48. Fœtor cadaverum. Num inde peſtis? *Cornelius a Lapide*. §. 49. 50. Maſticatio mortuorum quid ad propinquorum mortem. §. 51. Concluſio. Promittitur altera Diſſertatio. §. 52.

Q. D. B. V.

§. I.

Univerſa Natura occultis potentiis plena eſt. Conſcendit quidem Philoſophia Naturalis ſupremum quaſi noſtris temporibus perfectionis gradum, at ſemper tamen & quotidie aliquid novi apportat, quod eruditiſſimas Philoſophorum ſubvertit hypotheſes. Illi, qui totam Naturam mechanice tantum operari contendunt, omnes ejusmodi occultas Naturæ vires, &, ut vulgo audiunt, qualitates, tanquam aniles explodunt ineptias, in Scholis Peripateticorum genitas. Verum cum Naturam non aliter quam a poſteriori intueantur, & omnia ad experimenta reſtringant, extremis ſuis, ut dicitur, digitis iſtas ne quidem attingunt, quia ſuper omnes poſſibilitates leges ipſis poſitæ videntur. Et ſane phænomena illa, quæ noſtra ætate in regno Naturæ experta accepimus, ita comparata ſunt, ut non mirum videatur, ſi omnia & quidem optima Philoſophorum oracula propterea obmuteſcant.

§. II.

DAntur nonnulli ex Philoſophorum cohorte, qui omnia ejusmodi Naturæ mirabilia vel *Deo* vel *Diabolo* adſcri-

ſcribere volunt. Verum quis non talem philoſophandi modum in ſuperſtitioſis numeret hariolationibus? Satis aperte enim tales ignorantiam ſuam in cognitione potentiarum Naturæ produnt. Nulli quidem negamus influxum ſpirituum in corpora. Nos ambabus potius largimur manibus, non Deum modo in Natura per ſingularem ſuam providentiam miracula adhuc patrare, ſed quoque Diabolum pro ſua virium naturalium cognitione inſigni mirabilia committere poſſe. Verum omnia qui propterea ſpiritibus eorumque immediato influxui aſſignaret, nimis jejune philoſopharetur. Exerunt enim ſeſe quam plurimum in phænomenis rarioribus tales circumſtantiæ, quæ palam teſtantur, eadem nec a Deo nec a Diabolo immediate ortum habere. Ambo ſecundum fines ſuos tantummodo agunt. Hinc ſemper in ejusmodi prodigiis vel bonitas divina vel malitia diabolica manifeſta redditur.

§. III.

Ante tres vel quatuor circiter annos orbi erudito tale de *Enthuſiaſmo poëtico* innotuit exemplum, quale vix unquam per hominum memoriam extitiſſe credimus. Circumſtantias ejuſdem qui ex Actis Erudit. *german. P. LXXIX. pag. 514. ſqq.* ſecum animo volutaverit, profunditatem quidem naturalium virium mirabitur, ſed nec Divinæ nec Diabolicæ alicui operationi aliquid hic temere adſcribet. Si Deus enim miraculum ſuper omnem naturæ ordinem & potentiam in tali caſu excitaverit, finis aliquis divinus nobis innoteſceret, qui vel ſit gloria Dei, vel ſalus hominum, quod utrumque tamen hic ceſſat. Cæterum nec Diabolo quoque prodigium hoc Naturæ attribuendum putamus, quia ſubjectum perſona eſt, de cujus vitæ integritate nemo dubitat: alias ut jam taceamus circumſtantias.

Digitized by Google

§. IV.

MUltas itaque in Natura adhuc latere potentias, certum eſt. De earum effectibus nos non alia de cauſa ſubit admiratio, quam quia nobis non datum eſt iſtas cognoſcere. Quis tamen propterea earum exiſtentiam neget? Homo ſimplex, qui propter levem rationis ſuæ culturam, rerum cauſas ſcrutari nequit, multa diabolicis operationibus tribuenda haberet, ſi ab ignoratione rei ad rei negationem valeret conſequentia. Certum enim eſt, Naturam manere imperſcrutabilem. Quo ſimpliciores vero Naturæ vires evadunt, eo propius accedunt primis principiis & eo magis in prodigium trahuntur.

§. V.

UT vero exiſtentiam occultarum potentiarum Naturæ eo manifeſtiorem faciamus, defendimus mutuum aliquem omnium ſpirituum & corporum inter ſe influxum. Operantur enim ſpiritus in ſpiritus, operantur ſpiritus in corpora & operantur denique corpora in corpora. Quartum vero, quod corpora etiam operentur in ſpiritus, vix dari credimus. Inter has operationes occultas facile primum merentur locum, *operationes corporum in corpora*, quia earum effectus maxime in cernendi ſenſum cadunt. Tanta iſtæ autem veritate fundatæ ſunt, ut ad eas evertendas vix unquam extiterit bonus Philoſophus. Συμπαθείας & Ἀντιπαθείας nomine vulgo inſigniuntur, de quibus magna paſſim proſtant literarum monumena, inter quæ ATHANASII KIRCHERI *Magnetiſmus Naturæ* facile primam cæteris præripit palmam.

§. VI.

EXiſtentiam Sympathiæ & Antipathiæ in Natura nemo negabit, qui magnetis virtutem attractivam unquam expertus eſt. Canes intra & extra domos ululatu ſuo inſolito inconditoque inſtantem ægrorum mortem non raro

Digitized by Google

raro præſignificarunt, & quodlibet animal cibum ſuum ex ſolo odoratu ſentire, quotidie cernimus. Quem quæſo latet, qualem non harmonia muſica in hominum animis excitet Sympathiæ ſpeciem? Quid non morbis hæreditariis & imaginariis in hac re tribuendum venit? Quanta non lunatici & quibus non eſt ferre certa animalia e. g. feles &c. Sympathiæ & Antipathiæ præbent exempla? Et quis plura enarrare valeat, quæ ad demonſtrandam operationum corporum in corpora exiſtentiam faciunt, & cuivis in communi vita ſatis obvia ſunt.

§. VII.

HIsce omnino quoque annumerari debent multa alia ejusmodi Naturæ phænomena, quæ majoris quidem momenti ſunt, ſed neutiquam tamen ex mera Magia Diabolica fluunt. Pertinent huc cruentationes corporum interfectorum, virgula divinatrix, faſcinationes per imaginationem magicam, divinationes animalium, incantamenta, inſomnia divinatoria, Tarantiſmus, influxus aſtrorum, armarium unguentum & multa alia, quorum cauſas haud minori cum probabilitate occultis Naturæ potentiis adſcribere poſſumus, quam forſitan transplantationes arborum & morborum, rabiem caninam, inoculationem variolorum, pulverem ſympatheticum & id genus alia, de quibus tamen nulla Magiæ Diabolicæ extat ſuſpicio. Nos non omnem quidem ſpirituum influxum in ejusmodi occultis Naturæ operationibus negare audemus. Probe enim nobis cognitum atque perſpectum eſt, quanta cum calliditate & fraudulentia Diabolus ſæpe homines per artes magicas decipere ſoleat ad ampliandum ſuum diabolicum regnum. Verum cum hujuſmodi operationes ut plurimum per ſagas, quibus varia ratione occultiores Naturæ vires manifeſtat Diabolus,

bolus, exerceat, concludimus inde, fieri hæc omnia etiam poſſe ſecundum merum Naturæ ordinem abſque ſpirituum concurſu.

§. VIII.

QVum exinde igitur ſatis pateat, varias dari operationum corporum in corpora ſpecies, conſtituemus etiam aliquam, quam vocabimus *Maſticationem mortuorum in tumulis.* Dudum multa jam de ejusmodi mortuis in tumulis voracibus nobis narravere patres matresque, ſed dedecori nobis eſſe credidimus, hiſce fabellis & Æſopeis logis, quarum auditione ſolum aniculæ dicuntur, fidem habere. Cauſæ in promptu ſunt. Nos ejusmodi voraces mortuos non propriis oculis vidimus. Ipſum phænomenon noſtris ratiociniis non licuit comprehendere, & præter hæc ſuperſtitionis accuſationem cane pejus & angue fugimus. Quid igitur mirum, ſi omnia, quæ in hiſtoriarum monimentis paſſim occurrunt, exempla in dubium vocavimus? Datur quidem hominum genus a Natura ita inſtructum, ut ex ſuperſtitioſis hariolationibus neſcio quam mulcedinem captet. His creditu facillimum eſt, quicquid audiunt. Quod vero rationis ſuæ lumine colluſtrare nequeunt, id ſpiritibus ex orco vocatis & Magiæ Diabolicæ adſcribere non dubitant.

§. IX.

PRæter hos novimus etiam quoſdam, quibus ſola orthodoxia Evangelicæ Religionis impedimento eſt, quo minus iis aſſentire queant, quibus alias aſſenſum præbere nulli dubitarent. Hæreſeos enim criminationem tanto cum horrore reformidant, ut quaſi Andabatarum more in eccleſiæ doctorum verba jurare haud erubeſcant. Sed pleruinque non habent, quod timent. Veritas

ritas Scripturæ Sacræ interdum ex meris præconceptis opinionibus violata habetur. Compertum inter alia hoc habemus in doctrina de Magia Naturali. Cum enim antiquiores eccleſiæ Doctores ex occultarum potentiarum Naturæ ignoratione omnia mirabilia Magiæ Diabolicæ adſcripſerint, ſubiit pectora noſtra opinio, quaſi omnis de Magia Naturali doctrina ad deſtruenda Dei miracula faciat. Sed falſum hoc eſt. Miracula divina tanta cum præeminentia ab aliis Naturæ prodigiis diſtinguuntur, ut miremur, quomodo inter ſe confundi poſſint. Diviſiones aquarum in mari rubro & Jordano factæ, reſuſcitationes mortuorum & multa alia, quæ Chriſtus, Prophetæ & Apoſtoli per digitum Dei in V. & N. T. effecerunt, ſunt & manent Naturæ myſteria, ad quæ enucleanda & imitanda ne totus quidem diabolorum exercitus ex orco vocatus cum omnibus Nigromanticis ſufficeret, etſi conjunctis viribus operari contenderent.

§. X.

Verum quis omnes propterea corporum in corpora operationes, qua ſecundum Naturæ ordinem paulo inconſvetiorem fiunt, negaret? Nil enim hic veritati divinæ derogatur. E re potius Evangelicæ Fidei eſſe putamus, ſi oſtendi poteſt, in quantum Deus immediato ſuo influxu in Naturæ prodigiis concurrat, inter omnes enim conſtat, Romanam Eccleſiam de fide miraculoſa adhuc multum gloriari. Si itaque nos qui de altera eaque puriori Parte ſumus, omnia Naturæ Mirabilia, ſtatim pro miraculis vel ſaltem pro effectibus Magiæ Diabolicæ venditemus, nonne faciliſſime, ab adverſariis noſtris dolis ludi & circumduci poſſimus? Maſticationes mortuorum in tumulis ſine dubio quoque ceu miraculum aliquod divinum venerabitur Ponti-

tifi-

tificiorum fides, & neſcimus quam? fortaſſe doctrinam iisdem corroborare ſtudebunt. Quis igitur nobis vitio vertet, ſi haſce maſticationes naturali cuidam corporum influxui aſſignare tentemus? Modus quidem nos ſemper latebit, ſufficit tamen rem exiſtenti aliter demonſtrandam fore.

§. XI.

Antequam vero mirum hocce Naturæ prodigium dilucidationibus noſtris qualibuscunque ſubjicimus, nobis exempla in medium producenda ſunt, quibus rei exiſtentiam confirmamus. In genere conferendi hic ſunt SCHWIMMERUS *in Curioſit. Philoſ. Secret. Diſs. IV.* §. 12 *ſeqq.* HENR. KORNMANNUS *de Mirac. Mort. Part. VII. c. 64.* GARMANNUS *de Mirac. Mort. Lib. I. Tit. III. p. 116. 117.* GEORG. PH. HARSDOERFFERUS *in Theatr. Trag. cap. CXV. p. 406.* PHIL. ROHRIUS *in Diſs. de Maſticat. mort. c. I. Th. 7.* & VOIGTIUS *in den Phyſicaliſchen Zeit-Vertreiber p. 516.* qui omnes multa de mortuorum maſticatione collegerunt exempla. Singularia vero exempla videre ſunt apud Megalandrum noſtrum LUTHERUM *in Colloqu. commens. Tit. 24. fol. 211. 212.* it. ANDR. MOLLERUM *in Annal. Freiberg. p 254.* CONR. SCHLÜSSELBURGIUM *in der gründl. Erklarung des XCI. Pſ. conc. XII. p. 155.* MART. BOHEMUM *von den drey Land-Plagen, conc. XVII. fol. 169.* ADAM ROETHERUM *in Concion. Peſtil.* WENCESL. HAGENECIUM *in Chron. Boh. P. I. fol. 419. b.* JUSTINUM ORTOLPH. MAROLD. *in Lœmograph. p. 92. ſqq.* MART. ZEILERUM *in Not. ad Reſſer. Hiſt. Trag. p. 32.* HENR. ROTHIUM, *Conc. funebr. 30. in additamentis von ſchmatzenden Todten.* PITSCHMANNUM *in Leichen-Redner P. II. p. 856.* IGNAT. HANIELEM *de Peſte*

ſte in Schiefelbein. MART. FABRICIUM *in Paradox. λοιμ. p. 123.* ERASM. FRANCISCI, *im Hœlliſchen Proteus n. 28. p. 260. ſqq.* BEIERUM *in faſc. dict. bibl. c. IV. n. 32.* STIEFLERUM *im Hiſtorien-Schatz* P. II. p. 1911. HERCUL. SAX. *c. XI. de Plica* &c. Huc etiam ſpectant, quæ Rev. P. GABRIEL RZACZYNSKI *in Hiſtor. Nat. Curioſ. Regni Poloniæ*, quæ A. 1721. Sandomiriæ in 4. prodiit, refert, & quidem *Tract. XIV. Sect. II.* ubi de cruentationibus cadaverum agit, & hac occaſione multa ſimul profert de mortuis in tumulis adhuc voracibus & vicinos viventes ſpectrorum modo trucidantibus. Poloni ſpeciali nomine *Upiers* & *Upierzyca* appellant, de quibus dictus Autor authentica producit documenta, ut nobis referunt ACTA ERUDIT. *A. M. DCC. XXII. M. Jan. p. 17.*

§. XII.

Recentiſſimum, quod nobis innotuit & omnium maxime memorabile exemplum exhibet illa *relatio ex Hungaria*, quam ex Novellis publicis haud ita pridem compertum accepimus. Digna eſt, ut verbotenus *ex Relat. publ. Lipſienſibus a. c. p. 503. ſeqq.* hoc loco inſerendum curemus & quidem in lingua vernacula: *Wien, vom 31. Julii.* Man ſiehet in den hieſigen Zeitungen oder ſo genannten Diario einen Bericht, welchen der Kayſerl. Proviſor in dem Gradisker Diſtrict in Hungarn an die Kayſerl. Adminiſtration zu Belgrad, wegen einer beſondern Begebenheit ergehen laſſen, welcher unverændert und ohne darüber zu urtheilen, wie er ſich gedruckt befindet, folgendes Innhalts iſt: Nachdem bereits vor 10. Wochen ein in dem Dorff Kiſolova, Rahmer-Diſtrict, geſeſſener Unterthan, Nahmens *Peter Plogojovitz*, mit Todte abgegangen, und nach Rætziſcher Manier

nier zur Erden beſtattet worden, hat ſichs in ermeldetem Dorff Kiſolova geäuſſert, daſs innerhalb 8. Tagen 9. Perſonen, ſo wohl Alte als Junge, nach überſtandener 24. ſtündiger Kranckheit alſo dahin geſtorben, daſs, als ſie annoch auf dem Todt-Bette lebendig lagen, ſie öffentlich ausgeſaget, daſs obbemeldeter vor 10. Wochen verſtorbener Plogojovitz zu ihnen im Schlaff gekommen, ſich auf ſie geleget und gewürget, daſs ſie nunmehro den Geiſt aufgeben müſten; Gleichwie denn hierüber die übrigen Unterthanen ſehr beſtürtzet, in ſolchem noch mehr beſtärcket worden, da des verſtorbenen Peter Plogojovitz Weib, nachdem ſie zuvor ausgeſagt, daſs ihr Mann zu ihr gekommen, und ſeine Oppanki oder Schuhe begehret, von dem Dorff Kiſolova weg, und ſich in ein anderes begeben; ſintemahl aber bey dergleichen Perſonen (ſo ſie *Vampyri* nennen) verſchiedene Zeichen, als deſſen Cörper unverweſet, Haut, Haar, Barth und Nægel an ihm wachſend zu ſehen ſeyn müſten, als haben ſich die Unterthanen einhellig reſolviret, das Grab des Peter Plogojovitz zu eröffnen, und zu ſehen, ob ſich würcklich obbemeldete Zeichen an ihm befinden; zu welchem Ende ſie denn ſich zu mir hieher verfüget, und nebſt Andeutung vorerwehnten Caſus mich ſamt dem hieſigen Poppen oder Geiſtlichen erſuchet, der Beſichtigung beyzuwohnen; und ob ihnen ſchon erſtlich ſolches Factum reprobiret, mit Meldung, daſs ein ſolches vorhero an eine löbliche Adminiſtration unterthænig gehorſamſt berichten, und derſelben hohe Verfaſſung hierüber vernehmen müſte, haben ſie ſich doch keinesweges hierzu bequemen wollen, ſondern vielmehr dieſe kurtze Antwort von ſich gegeben; ich möchte thun, was ich wolte, allein woferu ich ihnen nicht verſtatten würde,

auf

auf vorherige Beſichtigung und rechtliche Erkændnüs mit dem Cörper nach ihrem Gebrauch zu verſahren, müſten ſie Hauſs und Guth verlaſſen, weil bis zu Erhaltung einer gnädigſten Reſolution von Belgrad wohl das gantze Dorff (wie ſchon unter Türckiſchen Zeiten geſchehen ſeyn ſolte) durch ſolchen üblen Geiſt zu Grunde gehen könte, welches ſie nicht erwarten wolten. Da denn ſolche Leute weder mit guten Worten noch Bedrohungen von ihrer gefaſten Reſolution abhalten konte, habe ich mich mit Zuziehung des Gradisker Poppen, in gemeldetes Dorff Kiſolova begeben, den bereits ausgegrabenen Cörper des Peter Plogojovitz beſichtiget, und gründlicher Wahrheit gemäs folgendes befunden: daſs erſtlich von ſolchem Cörper und deſſen Grabe nicht der mindeſte ſonſten der Todten gemeiner Geruch verſpüret, der Cörper, auſſer der Naſen, welche etwas abgefallen, gantz friſch, Haar und Barth, ja auch die Nägel, wovon die alten hinweg gefallen, an ihm gewachſen, die alte Haut, welche etwas weislicht war, hat ſich hinweg geſcheelet, und eine neue friſche darunter hervor gethan, das Geſichte, Hände und Füſſe und der gantze Leib waren ſo beſchaffen, daſs ſie in ſeinen Leb-Zeiten nicht hätten vollkommener ſeyn können; in ſeinem Munde habe nicht ohne Erſtaunen einiges friſches Blut erblicket, welches, der gemeinen Auſſage nach, er von denen durch ihn Umgebrachten geſogen; in ſumma, es waren alle Indicia vorhanden, welche dergleichen Leute (wie ſchon oben bemercket) an ſich haben ſolten. Nachdem nun ſowohl der Popp als ich dieſes Spectacul geſehen, der Pöbel aber mehr und mehr ergrimmter als beſtürtzter wurde, haben ſie geſammte Unterthanen in ſchneller Eil einen Pfeil geſpitzet, mit

Digitized by Google

ſolchen den Tödten Cörper zu durchſtechen, an das Hertz geſetzet, da denn bey ſolcher Durchſtechung nicht nur allein häuffiges Blut, ſo gantz friſch, auch durch Ohren und Mund geſloſſen, ſondern noch andere wilde Zeichen (welche wegen hohen Reſpect umgehe) vorgangen; ſie haben endlich offt ermeldeten Cörper, *in hoc Caſu*, gewöhnlichen Gebrauch nach zu Aſchen verbrennet, welches denn einer hochlöblichen Adminiſtration hinterbringen, und anbey gehorſamſt unterthänigſt bitten wollen, daſs, wenn hierinne einen Fehler begangen haben ſolte, ſolchen nicht mir, ſondern dem vor Furcht auſſer ſich ſelbſt geſetzten Pöbel beyzumeſſen.

Kayſerl. Proviſor im Gradisker Diſtrict.

§. XIII.

TRia nunc nobis momenta circa prodigium hoc explicanda veniunt. Cum enim tres nobis hic tantum poſſibiles viſæ ſunt cauſarum claſſes, quas vel a Miraculis divinis, vel a Magia Diabolica, vel ab operationibus corporum ſympatheticis petimus; nobis demonſtrandum incumbet 1.) quod tales maſticationes mortuorum non in miraculis divinis, nec 2.) in meris Diaboli prodigiis, ſed potius 3.) in occultis Naturæ operationibus ſint collocandæ.

§. XIV.

MI*raculum* dicimus effectum illum divinum, qui extra ordinem & ſupra omnes cauſas naturales per influxum divinæ omnipotentiæ producitur ad confirmandam divinæ veritatis auctoritatem. Quæritur hinc, num etiam ad noſtram ætatem miracula ſpectent? Simplici

pliciter & in ſenſu latiori ſumta nos non negamus, ſed tantum ſtricte ſic dicta, ut jam deſcripſimus, quæ noſtris temporibus omnino ceſſarunt. Spectant enim ad eccleſiam tantummodo plantandam, ideoque ad diſcipulorum Chriſti ætatem. Hodie vero non amplius iſta expectare habemus, cum divinæ veritatis auctoritas ſatis ſuperque nobis confirmata ſit. Romana equidem Eccleſia nobiscum non unam eandemque inflat tibiam. Gloriatur potius adhuc de ſuis miraculorum donis. Sed ex Scriptura S. novimus, ea nil niſi mendacia eſſe. Quicquid igitur noſtra ætate per extraordinarium Dei influxum ſupra Naturæ vires accedere ſolet, effectus ſunt ſingularis providentiæ divinæ, quæ in latiori duntaxat ſenſu miracula audiunt.

§. XV.

MAſticationes mortuorum ſi itaque pro miraculis venditare velimus, vel *miracula doctrinæ* vel *miracula providentiæ* ſint, neceſſe eſt. *Miracula doctrinæ* dudum in eccleſia exſpiraſſe jam diximus. Verum ponamus, dari adhuc exiſtentiam eorum; omnes tamen circumſtantiæ impedimento ſunt, ne ſaltem mortuorum maſticationes miraculorum titulo accedant. Quodlibet enim miraculum divinum ſtricte ſic dictum 1.) confirmat veritatis divinæ auctoritatem, 2.) patratur per Prophetam vel Apoſtolum immediate a Deo Chriſtoque miſſum, & 3.) convictos de ſua veritate & integritate reddit quoslibet id videntes & audientes. Probatione haud indigemus, cum neceſſitas harum proprietatum ex Scriptura S. jam nobis ſatis ſuperque innoteſcat.

§. XVI.

QUid igitur nobis de mortuorum maſticatione dicendum erit? Num aliqua, quæſo, ex his hic anim

Digitized by Google

advertitur miraculi divini proprietas? Nos nullam deprehendimus. Deeſt veritas divina hic confirmanda. Deſunt Prophetæ & Apoſtoli per digitum Dei aliquid producentes. Deeſt denique hominum convictio, quam ſemper divina miracula de ſua veritate in cordibus operantur. Cui itaque bono Deus tale in Natura excitaret miraculum, ſi plane nullus extaret finis? Finis Dei duplex eſt, vel gloria ſui nominis, vel ſalus hominum. Ad gloriam divini nominis tales mortuorum operationes nihil faciunt. Magis eam impediunt quam promovent. Confunduntur enim vera miracula cum falſis, ex qua confuſione magnum ipſis accreſcit præjudicium, quod gloriæ Dei valde adverſatur. Alter Dei finis in miraculis ſalus hominum eſt, quæ vel temporalis vel æterna eſt. Ad utramque conſequendam requiritur fides aliqua in Deum & ejus promiſſiones, quæ per miracula divina optime accendi debet. Sed ex maſticatione mortuorum quæ nobis inde fides? quæ nobis inde ſalus? Subitam mortem homines nunquam inter ſingularia Dei beneficia retulerunt, inprimis violentam eam, quæ homines ſolet ſubire in maſticatione mortuorum. Fidem vero quod attinet, hinc inde expectandam, nobis hic nil conſtat. Superſtitio magis dicenda foret quam vera fides, ſi tale quippiam in cordibus anicularum operetur mortuorum voracitas. Fides noſtra ſatis confirmari poteſt ex Moſe & Prophetis, & hos ſi audire nolumus, nec credemus mortuis, ſi vel maxime ex tumulis prodirent & ad nos verba facerent.

§. XVII.

Alterum miraculorum genus exerit ſeſe circa divinam Providentiam, quæ propterea *miracula providen-*

deptiæ nuncupavimus. Sunt illa nil niſi rariora ſingularis providentiæ divinæ exempla, quæ præter conſvetum Naturæ ordinem fieri ſolent ad conſervandam vitam noſtram & corporis integritatem. Exemplo nobis eſt puellula illa, quæ haud ita pridem in Marchia Brandenburgica a rapaciſſimo lupo retrorſum faucibus quidem abrepta, ſed mox a beſtia ſponte iterum ſine ullo damno relicta fuit, prout nobis hoc ex *Novellis publicis* innotuit. Talia miracula noſtris adhuc temporibus quotidie fere accidunt, ſed ſemper ad vitæ noſtræ temporalis conſervationem tendunt. Maſticationem mortuorum his nullatenus annumerari poſſe, in aprico eſt. Magis enim iſta ad vitam hominis deſtruendam facit quam conſervandam.

§. XVIII.

QUum nulla igitur ratione hocce Naturæ prodigium in Dei miraculis collocandum ſit, nobis nunc nova ſubnaſcitur quæſtio, num ſcilicet *Diabolo* & quas in corporibus interdum exercet, operationibus attribuendum veniat? Maxima pars hominum ad ſententiam affirmativam prona deprehenditur. Cum occultas enim Naturæ potentias ignorent & nil divini ibidem videant, Diabolicæ omnino Magiæ adſcribendum putant. Nos ipſos quondam in hanc ſententiam tranſiiſſe fatemur. Aſtutia infernalis hujus ſpiritus in decipiendis hominibus tantuplex & tanta eſt, ut nunquam ſatis indagari nec erogitari poſſit. Quid igitur mirum, ſi in amplectenda hac ſententia nos quavis quoque occaſione olim facillimos præſtitimus? Verum enim vero cum notabile nuper illud maſticantis cujusdam defuncti exemplum nobiſcum paulo accuratius penſitavimus, tria nobis obvenerunt momenta, quæ nos merito ad faciendam ex hac ſen-

tentia diſceſſionem permoverunt. Obſtat enim nobis 1.) quod nullum phantasma hic occurrat, 2.) quod Diabolo nullum jus vitæ & necis in homines competat, & 3.) quod circumſtantiæ tantum cauſas indicent naturales.

§. XIX.

PRimum, quod nobis perluſtrandum incumbit, momentum verſatur circa externa prodigii hujus phænomena; quæ nullam præſtigiarum ſpeciem præ ſe ferunt. De ſpectris enim & Diabolicis apparitionibus ſatis cognitum eſt, iſtas nil niſi phantasmata eſſe. Putamus quidem, nos revera aliquid videre, & locum ſi accedimus, nil deprehendimus. Sic etiam cum auditu comparatum eſt in tumultibus, quos ſpectra interdum in cellis & culinis excitant, ita, ut omnia in mille ruinas corruere videantur, quæ poſtea tamen in loco ſuo prorſus non mutata inveniuntur. Non mirum hoc eſt. Diabolus tanquam ſpiritus purus in alterius imaginatione facile ideas figurarum & ſenſionum imo etiam vocum excitare valet, quanquam extra hominem revera nil adſit, quod in cernendi ſenſum cadat. Patet hoc ex iis apparitionibus, quæ uni ſoli tantum fiunt, etiamſi multi proxime ſimul adſtantes nil percipiant. Interdum quidem apparitio quoque extra hominem accidere ſolet, quando nimirum ſpiritus in aëre phantaſticum aliquod induit corpus. Verum ita id ſemper comparatum eſt, ut accedente luce clariori ſponte in nihilum diffluat.

§. XX.

MAſticationem mortuorum ſi ſub examen vocamus, in ea nil nobis ſe ſiſtit de tali phantaſmate. Cutis, capillus, barba, ungues & cætera corporis membra a quolibet in ſupra dicto Hungarico Cadavere manibus attrectari

ri potuerunt. Nec ulla quoque ratione Diabolus, vel quisquis ille ſpiritus fuerit, qui ex erronea opinione vulgi per iſtius cadaveris maſticationem tantam in domibus hominum edidit ſtragem, ſe ſpectrorum more manifeſtum reddidit iis, qui ipſum in ſuis operationibus turbatum convenerunt, id quod tamen plerumque fieri ſolet. Legimus quidem in Hungarica iſta relatione, defunctum Plogojovitium ad homines in ſomno veniſſe, ſe in eorum corpus dediſſe, iisdemque gulam ita interſtrinxiſſe, ut morte denique occubuerint; legimus quoque præter hæc, ipſum etiam uxorem ſuam acceſſiſſe, & calceamenta ſua ab ea poſtulaſſe. Verum quid de hiſce circumſtantiis ſentiendum ſit, ulterius declarabimus. Hoc jam dixiſſe ſufficiat, quod a rei imaginatione ad rei exiſtentiam non valeat conſequentia, alias quoque ephialtem & alios morbos imaginarios Spiritibus adſcribendos eſſe duxerim.

§. XXI.

A*Lterum* momentum, quod nos commovet, ut Diabolo non audeamus adſcribere prodigium, noſtrum inde reſultat, quod Diabolo nullum jus vitæ & necis in homines competat. Deus ſibi ſoli hoc ceu regale divinum reſervavit. Ad ſuam enim imaginem cum homines formaverit, nemini jus aliquod in eorum vitam & mortem conceſſit, niſi magiſtratui politico vices ſuas quaſi gerenti. Hic ſolus gladium juſtitiæ ſuper maleficos ſtringere debet Quis vero Diabolo, illi de facie Dei detruſo ſpiritui, qui ad æternas condemnatus eſt pœnas, tantam in homines per Dei Filium in gratiam redactos aſſignaret potentiam, eos pro lubitu & enecandi & conſervandi? Extra ordinem interdum quidem Deus ad puniendos homines mittit executores judiciorum ſuorum, ſed Diabolum ſibi pro ſua

Digitized by Google

ſanctitate in tali negotio deligere non conſvevit. Legimus equidem de Jobo aliisque viris ſanctis in ſacris literis, eos a Diabolo admodum male tractatos virgiſque & colaphis haud levibus cæſos fuiſſe. Verum licentiam hanc, etſi Diabolus niſi a ſummo non impetrare potuit Numine, ita tamen accepit limitatam, ut in vitæ diſcrimen iſtos vocare prorſus non potuerit. Unde itaque tanta ipſius in mortuorum maſticatione poteſtas? Dictu ſane horrendum foret, Diabolum intra ſeptem dierum ſpatium ad decem homines violenta morte e vita eripuiſſe & adhuc plures erepturum eſſe. Permittit quidem ſæpe Deus malo ſpiritui, ut apparitionibus ſuis quibusdam hominibus tantum horrorem incutiat, ut præ alteratione mortem ſubeant. Sed Diabolus mortis hujus cauſa tantum occaſionalis eſt, non vero cauſa efficiens, quæ tamen in maſticatione mortuorum eſſe deberet, ſi cauſas hujus Naturæ prodigii in Diabolo quæreremus.

§. XXII.

T*Ertium*, quod nos ab illorum ſententia retrahit, qui Diabolo mortuorum maſticationem tribuunt, eſt, quod omnes circumſtantiæ tantum cauſas indicent naturales. Nulli quidem negamus, magos ſagasque & omnes, qui ſub propria ſervitute Diaboli ſudant, rebus naturalibus, inprimis fæcibus & excrementis in artibus ſuis diabolicis uti ad infeſtandos homines. Verum circumſtantiæ, quibus facere ſolent, ita ſemper comparatæ ſunt, ut quilibet facile in iis Magiam deprehendat diabolicam. Hoc vero in maſticatione mortuorum obſervare non poſſumus. Ibi enim talia ſe ſiſtunt phænomena, quæ contrarium palam teſtantur. Cadaver Hungaricum nec abnodatum nec mutilatum, ſed integrum ac perfectum in tumulo deprehenditur: excretiones e. gr. pili, barba, ungues &c. vegetantes

tantes conſpiciuntur,& homines, qui mortem poſthæc oppetunt, nulla diabolicæ faſcinationis præferunt indicia. Cæterum, ſi etiam lamiis hic aliquid tribuendum veniret, non alias inde tamen oriundas eſſe crediderim operationes, quam ejusmodi faſcinationes, quæ valetudini quidem & integritati corporis nocivæ ſint, nullo tamen modo vitæ periculum, ut taceam ſubitam mortem, cauſentur. Accedit, quod Diabolus nullum quoque hic finem habuerit ad ampliandum ſuum regnum. Cauſata mors a Dei duntaxat voluntate pependit & damna corporis, quæ Diabolus interdum intendit, inde ne quidem ſecuta eſſe legimus.

§. XXIII.

QUæ cum ita ſint,nullum dubium eſt, quin omnes hic ceſſent cauſæ ſupernaturales. Ex ſolis itaque Naturæ viribus nobis prodigium hoc explicandum venit. Sed quæritur nunc, quibus? & qua ratione? Dantur nonnulli ex Philoſophorum ordine,qui de exiſtentia Dæmonum multa diſſerunt, inter quos facile primum meretur locum celeberrimus Rudigerus *in Phyſ. Div. Libr. 1. c. 4. ſect. 4.* Diſtingvunt iſtos a malis Spiritibus, quos vulgo diabolos dicere ſolemus, & definiunt tanquam ſpiritus incompletos corpore elementari veſtitos, qui ſenſione, memoria & cognitione quidem, ſed non intelligentia & reflexione gaudeant. In mundo ſpirituali idem illos eſſe aſſerunt, quod bruta ſunt in regno animali. Referunt huc omnes iſtas apparitiones & ſpectra quæ vulgo Bergmännigen, Kobelte, Bier-Eſel, der Drache ꝛc. nominantur. Ethnici multa olim de hiſce dæmonibus fabulati ſunt, quos larvas & umbras, lares & lemures, Faunos &c. appellarunt. Spiritus ἀγαθοὺς eſſe dixerunt, qui non damna inferant nec ſpecie terribili appareant. *Theophr.*

Paracelſus, qui de Magia Diabolica admodum ſuſpectus habetur, eos expreſſe nuncupat: die gütigen Geiſter, quod etiam *Georgius Agricola* facit *in Libr. de Animantibus ſubterr. p. 76. ſqq.* ubi mites iſtos vocitat, & immitibus ſeu *κακοῖς* opponit.

§. XXIV.

NOs hoſce & omnes ejusmodi Dæmones rejicimus, cum & Ratio & Revelatio eos ignoret. Quicquid vero in montibus, ædibus, nemoribusque de iis obſervatur, ſatis ſuperque de malitia diabolica teſtatur. *Garmannus* in litteratiſſimo ſuo Tractatu *de Mir. Mort. Lib. 1. Tit. III. p. 122.* de iſtis recte ſic ſcribens judicat: *Nullus*, inquit, *crediderim cum P. Thyræo Dæmones, qui tantum ſunt mites: nullos, qui tantum ſunt truculenti. Qui nunc mites, poſt trutulenti, qui nunc truculenti, poſt mites. Nam nec mitibus ſua deeſt bilis, aut nocendi poteſtas vel voluntas. Et qui odio in nos ſæviunt (quia mille artes norunt) etiam in angelos lucis ſe transformant & ſummam quandoque ſimulant mititatem. Habet bic locum vulgi enunciatum:* Es iſt ein Teufel wie der andere. Hæc Garmannus quidem dicit, ſed non vulgus in Hungaria, quippe qui, juxta ſupra ſuppeditatam relationem, Dæmonibus hiſce intermediis omnino aliquid in mortifero ſuo prodigio videtur tribuiſſe. Erga *Cæſareum* enim *Proviſorem* inter alia ingenue dixiſſe leguntur, *ſe aras focosque relicturos, niſi brevi judicialis inſpectio inſtituatur, & cadaver more conſveto deſtruatur, ſe enim vereri, ut totus aliquando pagus per huncce malum Dæmonem* (übler Geiſt) *interiturus ſit.* Hoc etiam moribundi confirmant, qui expreſſe teſtati ſunt, defunctum *Plogojovitium* ceu incubum ſe invaſiſſe & ad mortem uſque ſtrangulaſſe,

laſſe. At quis tales, quæſo, operationes miti alicui Dæmoni adſcriberet? & quis non ſat evidender ex hiſce unguibus infernalem cognoſceret leonem, ſi re vera hic aliquid Spiritibus tribuendum arbitremur?

§. XXV.

Ex mundo itaque corporeo nobis exponendum erit, quicquid de maſticationibus mortuorum nobis innoteſcit memoratu dignum. Antequam vero in theſi aliquid ponimus, nobis removenda ſunt quæcunque humana ſuperſtitio vel ex decepta phantaſia, vel ex præconcepta opinione huic prodigio affinxit. Pertinet huc 1.) quod tales mortui claro ſonitu manducant, 2.) veſtes ſuas ore devorent, 3.) plerumque de ſexu fœminino ſint, 4.) tantum peſtis temporibus exiſtant, & 5.) non aliam quam propinquorum mortem cauſentur. *Primum* quod attinet; omnes quidem relationes de maſticationibus conſentiunt, mortuos in tumulis porcorum inſtar cum claro ſonitu dentibus ſuis mandare, unde quoque **die ſchmagenden Todten** vocarunt. Verum noviſſimum, quod nuper ex Hungaria accepimus, exemplum de porcino hoc ſonitu nil meminit; ex quo relinquitur, figmentum hoc eſſe, ex hominum ſuperſtitione oriundum. In chronicis hiſtoriarum monimentis multa quidem fabulantur Scriptores de ejusmodi ſonis ac vocibus, quas in cœmeteriis, in ſepulchris, inque ipſis tumbis feralibus, domibus itidem & in aliis locis auditas eſſe perhibent, ſed plerumque hujus rei veritas anilibus tantum nititur auditionibus. Nulli quidem negabimus, Diabolum in cœmeteriis magnam interdum ſibi ſumere poteſtatem, ſed non adeo frequenter fit, ut vulgo putatur, quia Deus piorum tumulos cuſtodire & a Diaboli malitia & ludibrio in

intaminatos conſervare vult. In locis itaque, ubi homicidia & ſtrages editæ ſunt, non diffitemur, interdum ſpectra videri, variosque ibidem tumultus, ſonos ferales, aliaque lugubria verba gemituſque percipi poſſe, ſed idem in cœmeteriis utpote locis ſacris fieri, jure meritoque negamus.

§. XXVI.

VEteres gentiles de feralibus hiſce ſonis multa credidiſſe legimus, ſed in indicandis cauſis inter ſe nullibi concordarunt. Sarmatæ olim hujus rei cauſam adſcripſiſſe videntur Dæmonibus. Ita enim *Jo. Meletius in Epiſt. de Relig. Boruſſ. ad Georg. Sabin. & Jo. Loſicius de Diis Samogitharum* memorant eos in ſepulchris ſtrictis gladiis auras verberaſſe hiſce verbis: *eia! fugite Dæmones in orcum.* Græci cauſam ipſis inſepultorum animabus aſſignabant, quas poſt mortem τρίζειν ſeu ſtridere credebant. *Homerus* hinc de Patrocli anima ita cecinit:

Ψυχὴ τὲ κατὰ χθονὸς ἠΰτε κάπνος
Ὤχετο τετριγυῖα.

Anima ſub terram tanquam fumus
Abiit, murmure ſtridens.

Iliad. Lib. XXIII. v. 100. Edit. Cantabr. p. 636. Plura de animarum ſtridore quoque *in Odyſſ.* habet, ubi *Lib. XXIV. v. 5. ſqq.* ita canit:

Ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο.
Ὡς, δ' ὅτε νυκτερίδες μυχῷ ἄντρου θεσπεσίοιο
τρίζουσαι ποτέονται, ἐπεὶ κέ τις ἀποπέσῃσιν
Ορμαθοῦ ἐκ πέτρης, ἀνά τ' ἀλλήλῃσιν ἔχονται.
Ως αἱ τετριγυῖαι ἅμ' ἤϊσαν.

Hæ autem ſtridentes ſequebantur.
Sicut autem quando veſpertiliones ſeceſſu antri magni

Stre-

Strepentes volant, poſtquam aliquis cadere fecit
Multitudine a petra ſibique invicem cohærent:
Sic hæ ſtridentes ſimul ibant. Hæc Homerus.

Diogenes Laërtius Lib. VIII. de vit. Pythag. ſegm. 21. p. m. 505. hæc de Heſiodi anima habet: Ψησὶ δὲ Ἱερώνυμος κατελθόντα αὐτὸν εἰς ἅδου, τὴν μὲν Ἡσιόδου ψυχὴν ἰδεῖν πρὸς κίονι χαλκῷ δεδεμένην καὶ τρίζουσαν. ***Hieronymus vero deſcendiſſe ad inferos atque Heſiodi quidem animam columna area vinculis adſtrictam ſtridentemq; vidiſſe.*** Menippus, quando apud ***Lucianum in Necyomantia p. m. 306.*** ex orco redit, inter alia memorat: ἔνθα δὴ περιεπέτοντο ἡμᾶς τετριγυῖαι τῶν νεκρῶν αἱ σκιαί: ***ibi nos ſtridulæ mortuorum umbræ obibant. Sophocles*** animas more apium βομβεῖν dixit: ut pluribus de hoc conferri meretur ***Gerb. Jo. Voſſius de Idololatr. Lib. II. c. 28. p. 445. ſq.*** & ***Porphyrius de nympharum antro.***

§. XXVII.

SI dicendum, quod res eſt, ſonos hujusmodi infernales plerumque vel ex ſuperſtitioſa opinione, vel ex decepta imaginatione oriri credimus. Quantum ſuperſtitio in hominum animis valeat, videmus in Paganis. Mortuorum animabus ſtridorem & bombum aſſignant, non alia de cauſa, quam propter ſuperſtitioſas, quas de ſtatu animarum poſt mortem fovent, ſententias. His ſi deſtituti fuiſſent, ſonos gemituſque in terræ gremio perceptos igni forſitan ſubterraneo adſcripſiſſent, qui ſummo interdum impetu arctos meatus, præ dura ſaxa & cavernas pererrat, & horrendum, quem vulgo ejulatum vocant, ſonitum producit. Conferri de hoc meretur ***Jo. Rud. Glauberus***

in Opêribus Miner. P. II. p. 18. Optime hos ſtrepitus tonitruum aëreorum geneſi illuſtravit & inter tonitrua reputavit *Thomas Ittigius de Mont. incend. Sect. IV. c. 2. p. 292. ſqq.* Tales fragores & tumultus glacies quoque petris marinis illiſa, e. gr. in Islandia concitat, quem ſonitum pari cum abſurditate olim damnatis animabus tribuit Paganorum ſuperſtitio, prout teſtantur *Saxo Grammaticus in Præf. in Hiſt. Dan. p. 4.* & *Marinier* in der Reiſe nach Norden *c. XLIII. p. 72.*

§. XXVIII.

QUod olim vero in veteribus Ethnicis, id adhuc in Chriſtianorum animis efficere poteſt ſuperſtitionis virus. Ignorant plerumque cauſas ſubterranei fragoris, quæ multiplices eſſe poſſunt, hinc ſtatim ſibi perſuadent, ſe mortuos audiviſſe in tumulis mandare & pulſare. At naturales forſitan adfuerunt cauſæ, quæ re vera in tumulis effecerunt ſonitum; inter quas vel ſolam jam retuliſſe juvat ſarcophagi, ut ita dicam, corruentiam, quæ abſque ſtridore nunquam accidere ſolet. Operæ pretium erit, in medium hic proferre meteoron illud Gothanum, quod *Mich. Bernh. Valentinus Dec. 2. Ann. VIII. M. C. obſ. 74. p. 188.* ita recenſet: *Veſpillo Gothanus tumulum parans in ſarcophagum putredine conſumtum incidit, nihil præter coſtas & oſſa continentem. Quem cum removere vellet, ſonitum percepit ſibilum & ſtridorem anſerinum exacte referentem, inſimulque obſervavit ex oſſis extremitate ſpumam pugni magnitudine erumpentem, tanto quidem cum fœtore, ut labia nareſque comprimere & obthurare coactus fuerit; ſubſiſtit in altero tumuli angulo, viſurus, quid tandem inde ſit eventurum. Paulo poſt tantum fragorem edidit maſſa illa ſpumaformis, ac ſi quis bombardam manua-*

nuariam exploſerit, ſuccedente & in turbinem ſurgente fumo quodam cæruleo, qui majori, quam ſpuma ante dicta fœtore aërem infecit, unde præſentaneo vitæ periculo fuiſſet obnoxius, niſi relicto ocyus tumulo ſe domum contuliſſet, & ſumtis, neſcio quibus, medicamentis ſe refeciſſet. Ex hoc phœnomeno affatim edocemur, quam plurimas dari poſſe cauſas naturales, ſonitum in tumulis efficientes, quas nemo ſane in rebus præternaturalibus quæſiverit, niſi ſumma qui ſuperſtitione infectus ſit.

§. XXIX.

QUantum vero ſuperſtitioni in tali negotio tribuendum venit, tantum etiam deceptæ hominum imaginationi adſcribendum putamus. Senſus vera quidem nunciare concedimus, at incorrupti atque integri ſint, neceſſe eſt. Nil autem eos magis corruptos reddere valet, quam pavor & metus, qui, teſte *Cicerone*, mentem loco movere ſolent. Multa tum videntur juxta ac ſi re vera exiſtant, quod tamen non eſt. Terror enim ſi pectora occupavit, cerebrum movet, in vanas mentem imagines evocat, multumque inter falſum ac verum mediæ caliginis fundit. Quid igitur mirum, ſi mulier trepidationis plena vel alia hujus farinæ perſona in cœmeteriis aliquid ſub tumulis pulſare aut ſtridere percepit, quod tamen nil niſi *κατ᾽ εἰδώλων Φαντασία* fuit? Exemplorum magnus nobis eſſet apparatus, ſi Annales iſtos ſeu libros Chronicos, quos Miſnia noſtra de ſingulis fere urbibus in inſigni copia tulit, perluſtrare nobis viſum fuiſſet. Unicum ſaltem jam attuliſſe juvabit exemplum. Harburgi aliquando in nobilis fœminæ tumulo per aliquot dies pulſus auribus exceptus eſt. Referato ſarcophago in cadavere nec vitæ nec motus præteriti indicia apparuerunt. Tumba iterum ter-

præ-

ræ commiſſa, pulſare cadaver iterum animadvertitur, effoditur & reſeratur ſecunda vice ſarcophagus, & nil, quod motum aut vitam cadaveris indicaret, repertum eſt. Refert hæc ex *Adelungii Hiſt. Harburg. p. 218. Zieglerus* im Hiſtoriſchen Labyrinth der Zeit *n. 626. p. 128. it. Garmannus de Mir. Mort. c. l.*

§. XXX.

Singulare quoque exemplum de ejusmodi pulſante mortuo nobis enarrat **Georg Gottlob Pitzſchmannus** im **Leichen-Redner** *p. 886.* Accidit illud an. 1701. Buntzlaviæ in Sileſia, & hujus fertur eſſe argumenti: Senex quidam quarta poſt obitum die conſuetis cæremoniis ſepelitur. Corpore terræ mandato a veſpillone in tumulo percipitur pulſus. Veſpillo id parum curans abit. Accidit, ut pro conſvetudine cauponam frequentet. Ibi erga accumbentes ſodales hujus pulſationis mentionem facit. Admonetur, ut magiſtratui hoc indicet, quia defunctus vitam forſitan adhuc habere poſſit. Veſpillo morem gerit. Quilibet in dicta opinione confirmatur, ita, ut magiſtratus mortuum effodere jubeat. Verum tumba reſerata nil animadvertitur, niſi quod ſarcophagi operimentum propter nimiam terræ molem confractum fuerit, quod ſonum hunc effecerat: Ex his igitur apparet, hominum mentes quam plurimum ab imaginatione decipi. Egregie hinc Caſſius apud *Plutarchum in vita Bruti* dixiſſe videtur: *ἡμέτερος, ὦ Βροῦτε, λόγος. ὡς οὐ πάντα πάσχομεν ἀλιθῶς, οὐδ' ὁρῶμεν, ἀλλ' ὑγρὸν μέν τι χρῆμα καὶ ἀπατειλὸν ἀισθησις. Noſtra, o Brute, hæc ſententia eſt, quod non vere omnia patiamur, aut videamus, ſed lubrica res ſenſus eſt, & quæ facile decipiat.* Viſa

ſa animi autem ſemel percepta ita in animis imprimuntur, ut non poſſint exſtirpari, priusquam vera & genuina rei cauſa ipſis ſub oculis poſita ſit. Dicat itaque de pulſantibus & mandentibus mortuis aliquis, quicquid velit, nos iſtos plane negamus. Homines enim de iis aliquid percipientes vel a ſuperſtitione vel ab imaginatione decipiuntur.

§. XXXI.

AD *aliud* nunc deſcendimus phænomenon, quod ſuperſtitioſa plebs in maſticatione mortuorum falſo ſe animadvertiſſe credit, & propterea hic removendum ſumſimus. In eo illud conſiſtit, ut perhibeant, mortuos in tali caſu veſtes ſuas devorare. At quis non noverit tritum illud, quo jam Theodotus olim apud *Plutarchum in vita Pompeji p. m. 432.* uſus eſſe legitur, proverbium: *νεκρὸς ὀυ δάκνει: mortuus non mordet.* Ceſſante animæ cum corpore commercio, omnes quoque animales ceſſant actiones. Loquimur enim hic de vere mortuis, non de Epilepticis, Syncopticis, Hyſtericis aut Ecſtaticis. Hos aliquando tale quippiam feciſſe legimus. Sed de his nobis hoc loco non eſt ſermo. Relationes quidem, quas ſupra de maſticantibus mortuis ſuppeditavimus, maxima ex parte in hoc conſentiunt, mortuum veſtes ſuas ferales, quantum ore attingere potuerit, devoraſſe & deglutiviſſe. Verum ſingulare illud Hungaricum, quod inprimis hic ſub examen vocare annitimur, exemplum de hac rei circumſtantia nobiscum nil communicat. Effoſſus *Plogojovitius* veſtes ſuas omnes adhuc integras habuit. Unicum, quod hujus loci eſſe videtur, eſt ſanguis ille in ore defuncti repertus, de quo creditum fuit ex interemtis ſuctum fuiſſe. Quid vero de hoc ſentiendum ſit, ſuo loco uberius declarabimus.

§. XXXII.

HOdierni Judæi, Turcæ & aliæ hujus furfuris gentes de hoc ſubterraneo mortuorum eſu multa fabulantur, quæ brevibus hic expoſuiſſe juvat. Mortuis ipſis quidem cauſam adſcribere non tentant, ejusmodi anilibus tamen rationibus rei veritatem confirmant, quas nos ſane refutare piget. De Judæis notum eſt, ipſos quatuor anteſignanos Dæmones credere, quos Sammaël, Azazel, Aſael & Muchazael nominant. Ex his Azazel ille eſt, qui cum ſocio ſuo Samchaſai ex cœlis primum decidiſſe dicitur apud *Buxtorffium in Lexic. Talmud. col. 1593.* & de quo Judæi perhibuiſſe creduntur, ſe in ſerpentem mutaſſe, primos parentes inſidiis decepiſſe, & ex divina maledictione poſthæc condemnatum fuiſſe ad comedendam terram & pulverem, juxta *Gen. III. 14. & Jeſ. LXV. 25.* Ex quo poſtea efficiendum putarunt, Azazeli carnem & quicquid de humano corpore poſt mortem ſuperſit, relictum eſſe in cibum. At nugæ hæc ſunt, quas ipſos Judæos protuliſſe pudet.

§. XXXIII.

SI dicere licet, quod res eſt, figmentum hoc eſt & narratiuncula, quam noſtrates Judæis ex non recte intellectis Rabbinicis ſcriptis affinxerunt. Quicquid enim ad id confirmandum in medium produci poteſt, ſumtum eſſe videtur ex *Buxtorffii Synagog. Jud. c. XXXVI.* ubi *Elias Grammaticus in Dictionario ſuo Tiſchbi in voce Chabat* ita ſcripſiſſe fertur: *Opinio eſt Rabbinorum, quod poſtea, quam Judæus quiſpiam ex hoc mundo diſceſſit & humatus eſt, veniens Angelus mortis ſuper ſepulchrum ſepulti ſeſſum eat, eodemque tempore anima ejusdem revertatur in corpus & erigat id ipſum quodque tum angelus iſte mortis ferream ſumens catenam dimidia ex parte frigidam, dimi-*

midia ex parte calidam, bis corpus ſive cadaver percutiat eadem, quodq; percuſſione quidem prima peracta, membrorum corporis omnium alia ab aliis dujecta dilabantur, percuſſione vero ſecunda oſſa omnia diſpergantur; percuſſione denique tertia corollarii loco facta corpus totum in pulverem cineremque convertatur. Verum quis exinde quæſo, putaret, Judæos de ſerpente Azazel credere, eum veſci mortuorum cadaveribus? Communis interim hæc habetur eſſe ſententia apud Scriptores, quos allegatos vide in *Garmanni Tract. de Mir. Mort. L. 1. Tit. III. p. 124. & Phil. Rohrii Diſſert. de Maſticat. Mort. c. 1. Th. 3.* Idem nobis ſentiendum quoque eſt de Mure illo Judaico, qui cadavera mox poſt ſepulturam tam crudeliter mordere dicitur, ut præ doloribus clamitare debeant. Nos figmentum hoc itidem eſſe arbitramur, in quem ſenſum magnus ille Theologus *Mart. Geyerus in Tract. de Luctu Ebræorum. c VI. §. 17. p. 103. ex Antonio Margarita,* de Judæis expreſſis hiſce verbis ſcribit: *Sciſſione veſtimenti ſuper ſepulchro facta cuncti magno cum ſtrepitu & vociferatione e cœmeterio diffugiunt, ne lethiferum defuncti audiant clamorem, quem terra obrutus, atque a Mure nares admorſus edere creditur, & quo audito intra trigeſimum diem mori itidem cogatur animadvertens.*

§. XXXIV.

AB his deliriis non multum diſtant Muhamedani, qui ex vana ſuperſtitione perſuaſum ſibi habent, quod ſi per quartam horæ partem in ſepulchro cadaver quieverit, novus ei divinitus immittatur ſpiritus, duoque accedant angeli, quorum unum Nechir alterum Remonchir nominant, qui ardentes faces manu vibrent, & ſub forma terribili mortuum de vita anteacta examinent; Vitam ejus ubi

ſceleribus contaminatam eſſe intellexerint, flagris eum ignitis cædant, ſin vitam ejus inculpatam deprehenderint, ſpecioſi forma angeli eum exornent, verbisque placidis conſolentur. Habet hæc quidem *Philippus Lonicerus in Chron. Turc. T. 1. p. 119.* ſed reliqui ſcriptores circa narratiunculam hanc non conveniunt. *Sandys in Jtiner. p. 162.* & *Phil. Baldus in Deſcript. Malab. & Coromand. Lib. 1. c. VI. p. 29.* angelos hos nigros lividoſque nunc Moncar & Nacir, nunc Mongir & Guarequir, nunc Mongir & Quoregner nuncupant. *Edo Pocokius in Not. Miſcell. p. 241. ſqq.* de ſepulchrali hoc mortuorum examine hæc refert: *Si mortuus recte reſponderit, ſuaviter obdormire jubent, ſin minus, gravibus cruciant malleorum ferreorum ictibus inter aures impreſſis, adeo, ut clamorem audiant, quotquot inter orientem ſint & occidentem. Gerardus Corn. Drieſchius* in der Hiſtoriſchen Nachricht von der R. Kayſ. Groß-Bothſchafft nach Conſtantinopel, qui liber an. 1723. Norimbergæ prodiit, hujus rei circumſtantias *Lib. 1. Sect. 8. p. 114.* ita enarrat: Turcæ, inquit, tumulos ſuos noſtris multo ampliores faciunt, & hac quidem de cauſa, ut mortui auxiliante bono angelo Gebrai ſeu Gabriele, cui in ſepulchro certam aſſignant habitatiunculam eo commodius poſſint pugnare cum malis Spiritibus, quos Aruth & Maruth vocitant. At plura cum non addat, facile exinde conjicitur, omnem hanc rem ſuperſtitioſam plebejæ fæcis eſſe hariolationem.

§. XXXV.

HUjus farinæ quoque eſſe videtur Ethnicorum ille ſpiritus, quem *Eurynomon* vel *Euryonium* vocant. Sacrorum interpretes, qui Delphis olim fuerunt, in Diis inferis ſpiritum hunc numeraſſe καὶ ὡς τὰς σάρκας περιεσθίει

τῶν

τῶν νεκρῶν, μόνα σφίσιν ἀπολείπων τὰ ὀςᾶ; *& circumrodere eum dixiſſe mortuorum carnes, ita, ut nuda reliquerit oſſa*, teſtatur *Pauſanias in Phocicis ſ. Lib. X. p. m. 663.* Forma, qua Deaſtrum hunc adumbrarunt, horrida fuit ac terribilis. Pingebant enim exertis dentibus trucem & in vulturina pelle ſedentem, cujus color inter cœruleum & nigrum medius erat. An idem ille fuerit ſpiritus *Aſuiti*, de quo *Saxo Grammaticus Lib. V. Hiſt. Dan. p. 82. 83.* memorat, in medio relinquimus. Ita vero de eo cecinit:

Neſcio quo ſtygii Numinis auſu
Miſſus ab inferis Spiritus Aſuiti,
Sævis alipedem dentibus edit,
Infandoque canem præbuit ori:
Nec contentus equi vel carnis eſu,
Mox in me rapidos transtulit ungues
Diſciſſaque gena ſuſtulit aurem,
Hinc laceri vultus horret imago,
Emicat inque fero vulnere ſanguis.

Sed utut ſit, ſufficit, ipſum *Pauſaniam* de ejusmodi ſpiritus devorantis exiſtentia admodum dubitaſſe. Ita enim *c. l. p. 664* inquit: *Neque enim Homeri de Ulyſſe carmina, neque poëſis ea, quæ eſt Minyas appellata, nec poſtrema, quæ reditus inſcribitur*, (in iis enim potiſſimum libris de orco, deque inferum terroribus multa expoſita ſunt) ἴσασιν ὀυδένα Ευρυνόμον δάιμονα; *ullum norunt inter manium Deos Eurynomum.* Hæc ille.

§. XXXVI.

Miſſis his nugis ad veri ſimiliores nos convertimus hujus ſepulchralis eſus cauſas, quas in certis animalcu-

 lis

lis quærendas eſſe arbitramur. De Hyæna & aliis ejusmodi Beſtiis carnivoris, de quibus prolixe commentatur *Garmannus de Mir. Mort. L. 1. T. III. p. 123.* nobis hic ſermo non erit. Iſtæ enim devorare perhibentur integra cadavera e ſepulchris eruta, more urſorum in Ruſſia, quorum rabiem in cadavera optime depinxit *Adam Olearius in Itiner. Perſ. L. II. c. X. p. m. 119.* Teſtem hujus rei producimus divum *Chryſoſtomum*, qui *Homil. XIII. ſup. Marc. Tom. II.* ita inquit: *Hyæna nunquam videtur in die, ſed ſemper in noctibus, nunquam videtur in luce, ſed ſemper in tenebris, & hanc natuarm habet, ut effodiat corpora mortuorum & ipſa edat; Denique ſi quis negligenter ſepelierit mortuum, effodit nocte & tollit corpus & comedit: ubicunque ſepulchra ſunt, ubique oſſa ſunt, ibi cubile Hyænæ eſt.* Confer *Plinium in Hiſt. Nat. L. VIII. c. 30. Kornmann. de Mir. Mort. P. X. c. 21. & Robrium de Maſtic. Mort. c. 2. th. 4.*

§. XXXVII.

DE Strigibus ſanguiſugis multa, quæ hujus loci eſſe poſſint, apud *Delrio in Diſquiſ. Mag. Lib. I. p. 6. & Lib. III. p. 355.* & alios Scriptores commemorantur. *Ovidius Lib. VI. Faſtor. p. m. III. ſq.* eas ita deſcripſit:

Sunt avidæ volucres, non quæ Phineia menſis
Guttera fraudabant: ſed genus inde trahunt.
Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ,
Canities pennis, unguibus hamus ineſt.
Nocte volant, pueroſque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.

Car-

Digitized by Google

Carpere dicuntur lactentia viſcera matris,
Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Eſt illis Strigibus nomen, ſed nominis hujus
Cauſa, quod horrenda ſtridere nocte ſolent.

Verum ex his nondum patet, ipſas carnivoras eſſe. Audiamus hinc alium Poëtam hoc quidem multo inferiorem. Eſt ille *Jo. Stigelius*, qui *Poëmat. Tom. II. fol. 299.* de ſtrigibus ita canit:

Grande illis & triſte caput, ſemperque micantes
Igne oculi, roſtrumque capax hamoque timendum,
Venter iners, crudo nunquam ſine ſanguine guttur,
Multiplices uncique pedes, aptique rapinæ,
Corpora namq; hominum ſugunt & viſcera rodunt,
Humanoque gulam gaudent implere cruore.

Si Strigibus hiſce in maſticatione mortuorum aliquid tribuendum putaremus, enucleare inde egregie poſſemus cauſam, cur in ore ſupra defuncti Plogojovitii repertus fuerit ſanguis. Verum cum in cadavere illo non aliud occurrerit devorationis indicium, ſtolida omnino noſtra foret conjectura, ſi ſerio eidem inſiſteremus. Interim aves haſce re vera exiſtere ex *Ariſtotelis Hiſtor. Animal. L. IX. c. 30.* non dubitamus, easdemque ſanguinem & quidem vivorum, præſertim parvulorum, leniter ſugere poſſe concedimus; quod vero præterea etiam ubera infantum labris immulgeant, noſtrum jam non eſt exponere. Sufficit tamen aliquando fieri potuiſſe, ut tales aviculæ cauſa fuerint illius devorationis, quam in maſticantibus mortuis plerumque animadverſam habemus, inprimis, ſi ſepulchra non ſatis fuerint obtecta.

§. XXXVIII.

DAntur adhuc plura ejuſmodi animantia, quæ hominis carne veſcuntur, quæque facile ad tumbas deſcendere & ibidem cadavera circumrodere poſſunt. Primum hic locum merentur ſerpentes, de quibus conſtat, quod admodum delectentur dulcibus carnibus & avium & quadrupedum & inprimis hominum. Amant præterea loca calida, prout ſunt cœmeteria, quoniam natura frigida ſunt. Videntur hinc dici angues ab angulis & colubri a colendis umbris, quia ſemper in umbris & herbis latitant & domicilia ſua in cavernis ſubterraneis quærunt. Non facile hinc negare licet, ſerpentes gaudere cadaverum carne. Sunt, qui cum *Plinio in Hiſt. Nat. L. X. c 66.* perhibent, naſci quoſdam ſerpentes ex medulla hominis ſpinali: quod etiam defendunt *Plutarchus in vit. Cleomenis Lev. Lemnius de occult. Nat. Mir. L. IV. c 12 Jo Bapt. Porta in Mag. Nat L. II c. 2. Ovidius Lib XV Metamorph. Camerarius in Hor. ſucc. cent. 1. c. XI. p 45. Fort. Licetus de ſpont. vivip. ortu M Aur. Severius de Vipera Pythia c. X Athan Kircherus* & multi alii. Sed ſententiam hanc ex profeſſo refutatam habemus a *Sennerto in Hypomn. V. c 8. p. 524 Sperlingio in Zoolog. Phyſ. L. VI. c. II p 438. & Franc. Redi in generat. inſect. p. 149.* Noſtrum jam non eſt controverſari. Hinc modo confirmamus, quod ſerpentes in cadaveribus humanis revera interdum habitacula ſua habeant, & carne eorum veſcantur, juxta illud *Syracidis c. X. 12.* pronunciatum: *Homo ſi mortuus eſt, comedunt ipſum ſerpentes & vermes. VVolffg. Frantzius* hoc in *Hiſtor. Anim. P. IV. c. I. p. m. 780.* non ſolum ſuo confirmat teſtimonio, ſed præterea addit, ſerpentes in ſepulchris humanis quandoque naſci etiam poſſe, etſi non ex medulla humana id fieri aſſerit.

§.

§. XXXIX.

NOtari hic quoque meretur monimentum illud, quod Miſena in templo S. Afræ conſpiciendum præbet. Exſtructum iſtud eſſe dicitur in memoriam cujuſdam *Wolffgangi de Schleinitz*, cognomine pulchri, quippe qui ibidem Anno 1523. ſepultus eſt. Nullius perſvaſu eo deduci poterat, ut imaginem ſuam depingendam curaret. At tamen ultro permittebat, ut elapſo menſis ſpatio poſt mortem effodiatur & in qua ſpecie deprehenderetur, depingatur. Id quod cum fieret, repertus eſt in mediis ſerpentibus: unus circa collum, duo circa brachia & totidem circa utrumq; pedem; rubeta vero ad ſiniſtri pedis hallucem deprehenſa. Cadaver ita effoſſum, poſtmodum ſaxo inciſum ad huncuſque diem ſervatur. Refert hæc *Hilſcherus* im Todten-Tanz *p. 83.* it. *Laur. Fauſtius* in Geſchichten der Stadt Meiſſen *p. 69. & Camerarius in Hor. Subſec. Cent.* 1. *p. 73.* Quid vero alii de hoc ſenſerint, nobis jam non licet inquirere. Confer interim *Wolffg. Frantzium de Interpret. Script. S. p. 868. Aug. Pfeifferum in Delic. Evang. P. II p. 268. 484. it. Mich. Sachſium in Alph. Hiſt. P. IV. p. 636.*

§. XL.

QUando itaque exempla proſtant de cadaveribus humanis, quæ amicula ſua feralia ori vicina deglutiviſſe videntur, cauſa hujus phænomeni ex ſupra dictis facile ſuppeditari poterit. Rem enim in totum negare nolumus, cum multorum αὐτοψία evictum ſit, qui ſe vidiſſe perhibent, cadavera non lintea ſolum attriviſſe, verum etiam prorſus deglutiviſſe. At quid dicimus de linteis? ipſas ſuas carnes devoraſſe legimus. Factum hoc eſſe dici-

tur tempore Lutheri, prout ad ipſum ſcripſiſſe fertur *M. Georgius Roererus* de cadavere aliquo, quod in parochia ſua in propria ſævivit viſcera. Simile exemplum etiam refert *Hohndorffius in Theatr. Hiſt. p.* 147. de muliere quadam mortua ſeſe ipſam in tumulo devorante. Et *Harsdörffero* ſi fidere volumus, ille *in Theatr. ſuo Trag.* exemplum etiam producit de maſculo cadavere in Moravia, quod non ſua, ſed quæ fuerunt vicinæ mulieris, feralia lintea devoravit. Confer pluribus *Kornmannum de Mir. Mort. P. VI. c. 64.*

§. XLI.

QUid de his & aliis itaque dicemus? Nec Diabolo nec ipſis mortuis hic temere aliquid adſcribendum putamus. Cauſam qui in animantibus ſubterraneis, quorum ſub terra magna datur copia, quæſiverit, non erraverit. Pertinent huc glires, mures, talpæ & id genus alia: de quibus ſatis conſtat, quod omnibus veſcantur ad implendos ſuos eſurientes ventriculos. Teſtem habemus *Georgium Agricolam de Anim. ſubterr. p. 32.* qui de muribus ita ſcribit: *veſcitur non modo fructibus, ſed etiam pane, carne, piſcibus, jure, pulmento: cupide vero lacte, butyro, caſeo, quæ cum mandit, oris ſuctu ſonitum ſicuti porcellus edit.* At, dixeris, cur quæſo devoratio ſepulchralis circa cadaverum duntaxat os & faciem obſervetur, ſi eadem ſolum animantibus quibuſdam carnivoris adſcribenda ſit? Reſpondemus, fieri hoc propter partium iſtarum nuditatem. Totum enim corpus ante ſepulturam amictu ferali obtegi ſolet, præter faciem collum & manus. Cætera hinc corporis membra plerumque in tumulis illæſa manent. Manus vero, cum propter ſuam macritudinem nullum hujusmodi animalculis paſtum præbeant, etſi non quidem obtectæ ſint, tamen inviolatæ conſpiciuntur. Faciem

ciem autem & collum, quod juxta cum pectore propter pinguedinem & carnoſitatem eſu dulciſſimum eſt, dentibus ſuis facillime arrodunt.

§. XLII.

QUicunque vero de ſepulchrali hac murium comeſtione adhuc dubitat, miſſos pro lubitu iſtos faciat & animo ſuo potius ad ſerpentes revertatur, ubi genuinam forſitan feralis mortuorum devorationis cauſam deprehendet. Hoc enim animantium genus cavernas ſubterraneas inhabitat: cadaverum carne veſcitur & in ſepulchris ſæpiuſcule deprehenſum fuit. *Franzius* de iis *in Hiſt. Animal. p. 776.* inter alia obſervat, quod carnes, quas accipiant, exugere ſoleant, ſed intus non foris, quia foris exugere carnes, proprium ſit aranearum. Exinde patere videtur, cur nullum de ipſorum præſentia reſeratis tumbis extet veſtigium. Inhabitant nimirum cadavera & per faucium foramina ſe quovis modo ſubtrahunt hominum conſpectui. Nullum inſuper dubium eſt, iſtos primum inteſtina devorare & ſibi poſtea intra oſſium ſtructuram quaſi habitaculum parare. Quid nunc mirandum, ſi apud *Harsdörfferum in Theatr. Trag. p. 406.* legitur cadaver aliquod muliebre Anno 1345. in oppido quodam Bohemico feralis ſui amiculi dimidiam deglutiviſſe in ſepulchro partem? Item ſi *Rohrius in Diſſ. de Maſt. Mort. c. 2. th. 10.* de cadavere haud procul ab hac alma noſtra civitate anno 1672. effoſſo, refert ex iſtius ore carnificem magnam extraxiſſe faſciam, quam mortuus uxori ſuæ de capite ſuſtuliſſe & deglutiviſſe creditus fuerit?

§. XLIII.

VErum fateri ſi fas eſt, putamus, ſerpentes cadavera hæc omnino inhabitaſſe & intus talia ad ſe traxiſſe pepla.

Ægre

Digitized by Google

Ægre enim cum plerumque ferant propinqui aliique adſtantes, ut membrorum diſſectio cum ejuſmodi cadavere inſtituatur, genuina hujus devorationis cauſa adhuc occulta manſit, ſemperque manebit, niſi exuta denique ſuperſtitionis larva aliquando diligentius in rei hujus veritatem inquirere licuerit. Verum enim vero quicquid jam in medium a nobis prolatum ſit de mortuorum devoratione, id nulla tamen ex parte ad ipſum feralis maſticationis prodigium ſpectat. Nil enim cauſæ hic ſe ſiſtit, quod viventibus mortem contrahat, quod tamen præcipuum & in tali caſu obſervatu maxime dignum eſt momentum. Accidere enim in omnibus cadaveribus poteſt, quicquid ſupra de cauſis infernalis voracitatis memoravimus, idque citra omne vitæ periculum viventibus, quod alias ex erronea vulgi opinione imminere dicitur.

§. XLIV.

T*Ertium*, quod nunc brevibus removere debemus, præjudicium verſatur circa defunctorum ſexum. Communis fere ſententia eſſe ſolet inter omnes, qui de hac re aliquid literis mandarunt, maſticationem mortuorum in cadaveribus tantum obſervari fœmininis. Ita e. g. putat *Rohrius in Diſſ. de Mort. Maſtic. c. I. th. 6.* quanquam expreſſe ſimul concedat, utriuſque ſexus cadavera ab Hiſtoricis exhibita fuiſſe maſticantia. *Pitzſchmannus* im Leichen-Redner *P. II. qu. 36. p. 856.* omnia de viris maſticantibus exempla in dubium vocare annititur. At opinionem hanc itidem ex ſuperſtitione ortam eſſe cenſemus. Accidit forſitan, ut prima, quæ de hoc Naturæ prodigio innotuerunt, exempla in mulierculis animadverſa ſint; hinc ſuperſtitio ſtatim ſuppeditavit rationes Theologicas, cur Diabolus, cui id temere adſcripſerunt, in ſexu debiliore tale

le

le quippiam effecerit. Hæc opinio in hominum animis ita poſtea inveteravit, ut ex iis nunc quidem vix excuti queat. *Schluſſelburgius in Explic. Pſ. XCI. p. 157. ſq.* hanc propterea urget cauſam, quia *Diabolus ſit hoſtis ἄσπονδος ſexus ſequioris, quod ex eo natus, qui ipſo ἰσχυρώτερος: hinc omnem moveat lapidem, ut quocunque modo mulierum famam lancinet.* In hoc conſentiunt etiam *Adam Rötberus in Conc. 2. Medit de Peſte: Mart. Bohemus in conc. 17.* von den drey Land-Plagen, *inpr. de Peſte p. 315. it. Garmannus c. l. p. 133.* qui ſimul addit, quod *cum mulieres nemo non, teſte Straboue Lib. VII. Geogr. fol. 205. ſuperſtitionis agnoſcat autores, Diabolus hoc ipſo facilius dementet, largioreſque fructus ſuperſtitionis ferat zizania.*

§. XLV.

NOs non videmus, cur Diabolus inprimis mulieres diffamet, cum jam ante ſint maribus ſemper habitæ multo inferiores. Chriſtus ex muliere quidem genitus eſt, formam tamen maſculam aſſumſit & virilem. Putaverim hinc, Diabolum ſatius feciſſe, ſi ſexum priorem aliqua ratione diffamare & fœminino ſexu inferiorem reddere conetur. Sed quid multum hariolemur, cum res extra omnem jam poſita ſit dubitationis aleam. Proſtant enim de utroque ſexu ſepulchralis maſticationis exempla, inter quæ ceu palmarium eminet illud, quod ex Hungaria nuper accepimus, ubi non fœmina ſed mas iſtius maſticationis reus deprehenditur.

§. XLVI.

QUartum, quod ſuperſtitioni vulgi debetur in maſticatione mortuorum præjudicium, circa tempus verſatur, quo inprimis cadevera in cryptis mortuorum glocitaſ-

ſe

Digitized by Google

ſe dicuntur. Communis ſententia eſt, fieri hoc tempore peſtis. Verum quanquam concedamus, plurima omnino nobis illo tempore innotuiſſe exempla, cauſa propterea tamen non in ipſa peſte quærenda eſt. Peſtis tantum occaſionem ſuppeditavit, ut prodigium hoc magis patefactum atque in forum prolatum ſit. Tempore enim, quo peſtilentia urit ſimul urbem atque agros, & continua contage populum conficit, emortua plerumque corpora juſtis exequiis & ſepultura carent. Veſpillones inſuper cum die noctuque tunc in cœmeteriis officio fungantur, & inter medios quaſi mortuos vivant, non mirum eſt, cur mortuorum maſticatio tunc temporis vel maxime innotuerit. Miracula enim mortuorum nunquam melius patefieri poſſunt, quam infauſtis hiſce peſtis temporibus. Interim locum hoc aperuit opinioni, qua mortuorum maſticatio non ſolum luis contagioſæ cauſa eſſe dicitur, ſed etiam quod eadem tamdiu duratura ſit, uſque ſublata demum hac cauſa tollatur effectus. At error hoc eſt & in Doctorum animis effuſa caligo, ejusmodi adſtipulari ineptiis. Res hæc nullis nititur veritatis fundaminibus, cum totidem proſtent exempla de mortuis extra peſtis tempora maſticantibus, quot a Scriptoribus ſolent proferri, quæ tantum intra contagioſa hæc tempora fuerint animadverſa. Nobis jam ſufficit vel ad ſolum illud Hungaricum provocare exemplum, quod nec tempore peſtis accidiſſe, nec pro cauſa peſtis habitum fuiſſe legimus, quanquam plebs alias admodum ſuperſtitioſa ibidem eſſe videatur.

§. XLVII.

DUæ autem inprimis cauſæ ſunt, quæ ab iis afferri ſolent, qui mortuorum eſum ad tempora peſtis reſtringunt. Prima terror eſt, quem Diabolus hominum animis

mis per ejuſmodi prodigium incutere dicitur. Provocant propterea ad illos Medicos, qui terrorem in peſte & aliis morbis acutis contagioſis plus valere pronunciant, quam nilum reale contagium, prout ita ſenſiſſe cernimus *Rivinum in Diſſert. de peſte Lipſ. c. 2. p. 22.* Diabolum conſummatum dicunt Phyſicum variisque experimentis a mundo condito ad hoc uſque temporis momentum inſtructiſſimum; qui ad unguem hinc noverit & cognoſcat, quantum terror in hominum animis valeat. Hic enim *cum in imaginatione aliquam fidem timoremque vehat, ſi aliquid contagionis actu hauſiſſe ſub incertitudine & agonia, eo quod venenum peſtis ſit inviſibile; particula hæc fidei cum perturbatione terroris perficiat tandem actualem imaginem in Archæo generandæ peſtis ſemen*: uti ſic ratiocinantem præ aliis deprehendimus *Helmontium in Tract. Tumulus peſtis p. 860. ſq.* Theologi, quibus Diaboli malitia inprimis curæ cordique eſt, in hoc, quod ad terrorem ſpectat; omnes fere conſentiunt; at non tam Phyſicis quam Theologicis rationibus ſententiam ſuam ſtudent corroborare. Audiamus modo *Mart. Geyerum.* Hic *in Diſqv. de ſuperſtitione c. 3 §. 37.* ita loquitur: *Dæmon vult hujusmodi infauſtis ſignis metum incutere hominibus, ut turbatis in corpore humoribus eo facilius mors triumphare poſſet.*

§. XLVIII.

NOs his quidem non temere adverſabimur. Concedimus potius, Diabolum bonum eſſe Phyſicum; largimur, ipſum hominum vitæ quovis modo inſidiari; adſtipulamur etiam iſtis, qui terrori multum in contagioſis morbis tribuunt. Verum hæc prorſus non huc quadrare, nec ad evertendam noſtram hypotheſin aliquid facere

cre-

credimus. Nobis enim ſub quæſtione tantummodo eſt, num Diabolus, ſi maſticationis prodigium edat, hominibus intendat ejusmodi incutere terrorem, ut inde vel peſtis oriatur vel coorta majori contagio ſæviat. Ex ſupra dictis nil relinquitur, niſi quod hic vel alter interdum tempore peſtis propter perceptam mortuorum maſticationem ita poſſit percelli, ut ipſa peſtis labe inficiatur. Verum ſi quærimus, unde hic terror veniat, non aliam poſſumus allegare cauſam, quam ipſam ſuperſtitionem, quia pavidus homo putaverit, maſticationem hanc a Diabolo provenire & ſignum eſſe multo gravioris adhuc peſtilentiæ. Hæc ſi ignoraſſet, animus ipſius nulla formidine perterritus fuiſſet. Quis itaque non inde concludat, non tam Diabolum, quam nosmet ipſos in tali caſu cauſam hujus lethiferi eſſe terroris, cum mentes ſic ex præconcepta ſolum opinione commoveantur.

§. XLIX.

TErrorem ipſum vero quod attinet, eum non adeo multi ex Medicis & Phyſicis inter genuinas peſtilentiæ cauſas numerant. Experientia enim proh dolor! nos ſatis ſuperque edocuit, peſtem omnino ſecum aliquid vehere, quod per ſe contagioſum ſit. Hoc ex eo vel maxime liquet, quod iſta cum mercibus, veſtibus, lanis, linteis, aliisque hujusmodi rebus ex una regione in alteram plerumque transferri ſoleat. Accedit, ut inter omnes conſtat, quod ſtrages hæc mortalitatis in iis inprimis regionibus, quæ verſus orientem ſitæ ſunt, incendio ſuo flagret. Jam vero regiones iſtæ a Muhamedanis inhabitantur, qui inter fidei ſuæ articulos eum præcipue receperunt, qui agit de neceſſitate fati. Maxime itaque miratu dignum foret, ſi ibidem peſtis graſſetur, cum gentes iſtæ ex hoc principio nil minus quam peſtis venena reformident. Teſtatur

tur inſuper hoc expreſſis verbis *Drieſchius* in der Groß-Bothſchafft nach Conſtantinopel, ubi *Lib. IV. p. 211.* meminit, Turcas in media peſte minimam ejus habere rationem. Ex hoc apparet, quid de illa judicandum ſit hypotheſi, quam de peſte fovet ille *Johannes Samuel Carl in Libr.* vom Peſt-Engel, *ſeu in voto ſuo Medico ad moderna peſtis conſilia.* Cauſam hic contagii ex mundo ſpirituali petit, ita philoſophando: ſi anima humana a principio aliquo ex ſuperiori angelorum mundo prognato terretur & per Magiam penetrabilem afficitur, mixtionem ſuam naturalem præ metu ac timore miſſam facit, putredinique interiori locum relinquit. Sed Autor hiſce nil nobis dixiſſe videtur verbis.

§. L.

Alteram, quam adverſarii proferunt, rationem pro adſtruenda ſua hypotheſi, quod ſcilicet Diabolus per maſticationem mortuorum peſtem excitare tentet, deſumtam eſſe deprehendimus a venenatis miasmatibus, quæ ex apertis ſepulchrorum cryptis exhalant. Perhibent enim, Diabolum in maſticatione mortuorum intendere refoſſionem cadaverum, ea quidem de cauſa, ut iſta tetro ſuo vapore contagioſa lue inficiant aërem. Verum exempla, quæ confirmationis gratia ſuppeditant, nil probant. Ita e. g. *Fortun. Licetus* quidem *in Libr. de annul. antiq. c. 23.* ne tribus veſpillonibus enarrat, a ſepulchri fœtore eos ſubito ſuffocatos eſſe. At quis inde tamen ſequi putaret, fieri hoc plerumque? *Licetus* ſi rei circumſtantias, inprimis ratione morbi, quo defunctus interiit, addidiſſet, genuina forſitan nobis ſubitæ hujus mortis cauſa pateret. Interea obſervaſſe nobis ſufficiat, inde ſaltem non peſtem coortam eſſe. Exemplis equidem confirmari poteſt,

Digitized by Google

ipſam interdum ex cadaverum fœtore omnino prognatam eſſe. Verum non unius cadaveris, ſed multorum millium veneficas tunc in aëre coaluiſſe credimus exhalationes.

§. LI.

AMbroſio itaque *Pareo* nos non denegabimus fidem, quando *Libr X. Chirurg c. 13.* refert, *aliquando pene multa interfectorum hominum cadavera in puteum centum ulnas altum projecta fuiſſe, atque hinc tam fœtidum & venenatum vaporem ſuſcitatum eſſe, ut multa hominum millia per totam Agennenſium provinciam tanquam peſte interierint.* *Cæſar Ripa* bene propterea *de peſte c. IV. p. 135.* annotaſſe dicitur, non tam mortuorum quam viventium gratia ſepulchra reperta eſſe, ad removendum nempe fœtorem ex cadaveribus provenientem. Num autem *Cornelius a Lapide in Commentar. in Amos. c. VI. p. 320.* exinde recte concluſerit, ſi e cauſis, cur cadavera Romani combuſſerint, & hanc fuiſſe cenſuit, ne fœtor eorum vivis peſtem afflaret, nobis jam non examinandum incumbit. Interim ad quotidianam tuto provocare poſſumus experientiam, quæ plus centum nobis ſuppeditare poteſt exempla, ubi ſepulchrorum cryptæ ſine ullo intertrimento apertæ fuerint. Hæc cum ita ſint, facile liquet, non ſatis vere dici, Diabolum per maſticationem mortuorum intendere, ut oriatur peſtis.

§. LII.

REſtat adhuc *quintum* & ultimum præjudicium, quod nobis in hac doctrina excutiendum ſumſimus. Deprehendimus illud in opinione, qua creditur, maſticationem mortuorum tantum propinquorum mortem arceſſere. Vulgi inprimis mentem perſuaſio hæc faſcinavit. Si

pr

propheʒeyen, es werde der Todt die nächſten Anverwandten und Freunde nachhohlen. Hujus ſuperſtitionis reum etiam deprehendimus *Kornmannum de Mir. Mort. P. VII. c. 64.* qui ejusmodi affert rationes, quæ alias peti ſolent a cauſis, cur in peſte & aliis contagioſis morbis unius interdum mortem totius ſequatur familiæ interitus. Verum cum de peſte jam nobis non ſermo ſit, ſed ſaltem de mortuorum maſticatione, quam dictus *Kornmannus* juxta ſupra allegatum & excuſſum præjudicium pro peſtis adjuncto habet, iisdem non immorabimur. Videtur iſtud quidem per ſe veriſimillimum eſſe, cum omnino maſticantes mortuos totam interdum familiam ex numero viventium exturbaſſe legamus. Verum per accidens id tantummodo factum fuiſſe credimus, prout ſuo loco demonſtrabitur. Exempla enim, quæ afferri ſolent, non unam tantum domum, ſed totos interdum pagos hac mirabili ſtrage deletos eſſe teſtantur. Patet hoc inprimis ex Hungarica illa relatione ſupra a nobis §. 12. recitata, ubi illius loci incolæ aras atque focos voluerunt relinquere, quia verendum putarunt, ne totus denique pagus interiturus ſit, prout olim jamjam, cum adhuc ſub Turcarum poteſtate ſudaverint, factum fuiſſet. Et ſic eſt. Mortuorum maſticatio omnino viventium mortem cauſatur. At non tam in propinquos contage ſua ſævit, quam in eos potius, qui cum defuncto paulo ante ejus obitum maximam habuerunt familiaritatem.

§. LIII.

REjectis quinque hisce circa mortuorum maſticationem præconceptis opinionibus, nobis modo duo adhuc de hoc Naturæ prodigio remanent phænomena, quæ ſunt *1.) vegetantia cadaveris, & 2.) nociva ejusdem in*

vivos operatio. Hæc ex ſobriis nunc Naturæ principiis pro virium tenuitate explicare deberemus. Verum cum paginarum anguſtia hoc inpræſentiarum prohibeat, ignoſcat, quæſo, *B. L.* quod deſideriis ſuis obicem hic poſuerimus. Firmiter Sibi interim perſuaſum habeat, nos in *Diſſertatione altera* eaque *poſteriori*, quæ inſcribetur: *Philoſophica*, brevi exſoluturos eſſe, quæcunque ipſi jam promiſerimus. Valeat interim & de hiſce pagellis ita judicet, ut ab humanitate ſua quovis modo ſperare jubemur.

S. D. G.

Diſſertatio Poſterior Philoſophica.

Argumentum.

TRanſitio ad hanc Diſſertationem §. 1. Corpora poſt mortem incorrupta. Mors hominis duplex. §. 2. Cadaverum incorruptio. Pontificii notati §. 3. Sanctorum incorruptibilitas. *Caſpar a Rejes. Johannes Mabillon.* §. 4. Judæi notati. Acta Sanctorum. S. Spiridionis incorruptio. §. 5. Incorruptorum corporum exempla. *Homerus. Plutarchus. Burius. Caſpar a Rejes. Bartholinus.* §. 6. Metallifoſſor Ehrenfriedendorffenſis a corruptione immunis. §. 7. Prodigium Hungaricum. *Venerabilis Beda Burrhus.* §. 8. Materia Prima. *G. P. Müllerus.* §. 9. Materiæ primæ affe-

affectio, vitalitas §. 10. Hujus vitalitatis proprietates vegetantia & ſenſio. §. 11. Vitalitatis hujus univerſalitas. Archeus mundi. Entelechia. Balſamus vitalis §. 12. Elementa primaria & ſecundaria §. 13. Hominis Natura & ſubſtantia. *Theod. Gaanen* §. 14. Hominis corpus per ſe vividum §. 15. Hominis creatio ſucceſſiva §. 16. Hominis corpus cum Natura unum corpus. Menſtruum. §. 17. Phænomena corporum maſticantium § 18. Hominis corruptio, quomodo fiat. §. 19. 20. Hominis incorruptio demonſtrata §. 21. *Garmannus Zacchias, Santorellus.* §. 22. Corpora humida an incorruptibilia. §. 23. Hungarica terra & plaga quomodo comparata. §. 24. 25. Plogojovitius num veneno extinctus. Venenorum natura. *Alexander M.* incorruptus. § 26. Opii vires. §. 27. Membrorum corporis inter ſe naturalis competentia. §. 28. Plogojovitii collapſus naſus. *Santorellus.* §. 29. Pilorum & unguium augmentum. *Garmannus. Helmontius.* §. 30. Cutis renovatio. §. 31. Corporis cruentatio. §. 32. 33. Penis erectio & ejus cauſæ. §. 34. 35. 36. 37 Cadaverum in vivos operatio. §. 38. Senſio univerſalis totius Naturæ. *Santinelli.* §. 39. Totius Naturæ cohœrentia. Atmoſphæra. §. 40. Effluvia corporum. *Jo. Weſtphalus* Omnis Magiæ fundamentum. §. 41. Corporis humani Magia. §. 42. Imaginatio, Magiæ inſtrumentum. §. 43. Corporum in corpora operatio. §. 44. Spirituum in Magia concurſus. *Marcus Marci. Carrichterus.* Faſcinatio. §. 45. Plogojovitii in vivos nociva operatio. §. 46. Omnis maſticationis mortuorum origo. §. 47. Imaginationis vires. Imaginarii morbi. *Joſ. Scaliger.* Ephialtes. §. 48. 49. Imaginationis vires tempore peſtis. *Frid. Hoffmannus. Carlius.* §. 50. Hungarici prodigii & ſtragis ortus. §. 51.

Digitized by Google

Conſcientiæ morſus. Relicta Plogojovitii uxor. §. 52. Operationum magicarum pernicioſitas. *Paracelſus. Marcus Marci.* §. 53. 54. Plogojovitii operationes pernicioſæ. §. 55. Remedia contra maſticationis venena. Capitis cadaverum amputatio. §. 56. Deſtructio cadaverum. *G. P. Müllerus.* Gleba terræ ſub mentis ſepeliendorum poſita. § 57. *Mullerus* refutatus. *Schvvimmerus. Phil. Rohrius.* Judæorum ſuperſtitio. §. 58. Capilli & nummi in oribus defunctorum poſiti. Concilium III. Carthaginenſe. §. 59. Optimum in hoc caſu remedium. Concluſio totius Diſſertationis.

§. I.

DUo adhuc, quæ explicaremus, ſupererant phænomena, cum priorem clauderemus Diſſertationem. ***Vegetantia*** nimirum ***cadaveris & nociva ejusdem in vivos operatio.*** Hæc nunc bono cum Deo ad manus ſumamus expoſituri, quouſque pro ingenii modulo licebit.

§. II.

AD ***vegetantiam cadaveris*** maſticantis demonſtrandam operæ pretium erit, ante omnia hic ventilare quæſtionem, num corpora interdum poſt mortem incorrupta maneant? Ad ſanctiſſimum ſi datur provocare exemplum Salvatoris noſtri, omnino reſpondendum eſt affirmando. Prorſus imputreſcibile enim corpus ejusdem poſt mortem manſiſſe, ſacræ palam teſtantur literæ. Num vero a ſingulari hoc exemplo ad alia hominum corpora valeat conſecutio, vix nobis aſſerendum ſumemus. At hoc tamen inde ſequitur, quod animæ ſeparatio & receſſio a corpore, proprie quidem conſtituat mortem hominis, quæ tamen a morte ipſius corporis adhuc multum

ſit

ſit diſtinguenda. Sententia hæc multis quidem valde paradoxa eſſe videbitur, nititur tamen veritatis fundamento. Homo conſtat, ut notum eſt, ex duabus partibus eſſentialibus, Anima & Corpore. Ceſſante una parte deſinit homo quidem homo eſſe, at non tamen anima deſinit anima, & corpus corpus manere. Si itaque corpus recedit ab anima, tunc homo quidem mori dicitur, reſiduum tamen corpus adhuc corpus manet uſque dum per putrefactionem reſolutum ſit in prima elementa, ex quibus compoſitum fuit: quod cum *Theodoro Craanen in Opp. Med. Tom. I. p. 2.* jure poteſt appellari *mors corporis.*

§. III.

JAm vero quæritur, num poſt ſeparationem animæ corpus adhuc a corruptione ſua manere queat immune? Pontificiis ſi hic licet reſpondere, quæſtionem hanc ſine dubio affirmabunt, & id quidem cum rejectione omnium cauſarum, quas ex Natura ullo modo petere poſſunt rerum naturalium ſcrutatores. Inter omnes enim conſtat, ſe corporum incorruptionem miraculi loco habere ad confirmandam orthodoxæ ſuæ fidei & religionis auctoritatem. Putant nempe corpora Sanctorum virtute divina a tabe libera perdurare. Acceperunt propterea tam inſignem Sanctorum numerum, ad quorum celebranda nomina vix mille annorum ſpatium ſufficeret, etiamſi ſingulis diebus unicuique pararentur ſua Sacrificia. Quoties enim corpus humanum adhuc poſt mortem integrum & a putrefactione liberum deprehenderunt, toties ſe quoque Sanctum aliquem incognitum reperiſſe credunt.

§. IV.

SEd cui non inde faciliimum ſit concludere, gentiles quoque & hæreticos tali modo triumphare poſſe de

corporum ſuorum imputreſcentia? Adulterinum hoc eſſe & ſumme incertum ſanctimoniæ, virtutis & inculpatæ vitæ ſignum, multi ex ipſis agnoverunt Papicolis. Sic inter plures *Caſpar a Rejes in Camp. Elyſ. quæſt. 34. n. 76. p. 412. ſq.* expreſſe teſtatur, *corporis poſt mortem durationem tanquam proprium ſanctimoniæ & integritatis vitæ indicem ventitandum non eſſe, niſi ex aliis actis & notis prævifisque aliis rebus probitas & morum integritas conſtet, cum in pauciſſimis inveniatur; nam putrefacto licet corpore, poſſit quis Deo maxime quoque gratus eſſe; ſancti enim non abhorreant fœtorem naturæ ſed culpæ.* Idem quoque cum eo ſentit doctiſſimus *P. Johannes Mabillon* in ſua Ψευδωνύμως exarata Epiſtola *de Cultu ſanctorum ignotorum*, cujus tamen ſententiam pro orthodoxiæ ſuæ integritate omnibus viribus interpretari conatus eſt *Marcus Antonius Boldetti in Oſſervazioni ſopra i cimiterii de ſanti Martiri & antichi Chriſtiani di Roma*, qui liber Romæ prodiit anno MDCCXX.

§. V.

NOſtrum jam non eſt, Theologicas inire controverſias. Miſſas iſtas hic potius facimus & ad obſervationes noſtras phyſicas revertimur. Hoc ſaltem adhuc addere animus eſt, Judæos cum Pontificiis hic unam eandemque inflare tibiam. *R. Manaſſe* enim *de Reſurrect. Lib. II. c. 17.* apud *Germannum de Mir. Mort. Lib. III. Tit. II. p. 948.* ita ſcripſiſſe dicitur: *in eorum cadaveribus, qui recte & honeſte vixerunt, nihil juris vermes habituri ſunt, & non prius in pulverem convertentur, quam hora una ante reſurrectionem mortuorum.* Si nobis dicere licet, quod res eſt, negamus, ulli unquam homini obtegiſſe præ cæteris privilegium aliquod de incorruptione,

at

at concedimus tamen, unum alterumve interdum corpus propter varias Naturæ cauſas ad tempus a corruptione immune manſiſſe, & porro manere poſſe, quamdiu ſcilicet cauſæ id efficientes nondum ceſſarunt. Exempla, quæ in inſigni copia collecta habemus apud *Garmannum c. l.* affatim hoc confirmant. Acta Sanctorum hic conſulere ſuperſedebimus, cum fides eorum admodum nobis in ſuſpicionem veniat. Unicum ſi ex iis licet afferre exemplum, *Petrus de la Valle* de S. Spiridione *in Itiner. Part. 1. epiſt. 1. p. 3. edit. germ.* hæc refert: **man verehret in Corfu den Leichnam des H. Spiridions, deſſen Fleiſch annoch ſo lebhafft und friſch iſt, daß, wenn man das dicke Fleiſch am Schenckel angreifft, daſſelbe den Fingern etwas nachgiebet, und alsbald wieder in ſeine vorige Stelle kömt.** Quæ tamen in Summe Rev. *Siberi* noſtri eruditiſſimo Libro *de vita S. Spiridionis* legiſſe non recordamur.

§. VI.

VErum utut ſit, exempla revera proſtant de corporibus defunctis, quæ multos annos incorrupta manſere. Audiamus modo *Homerum*, qui de Hectore in bello Trojano occiſo *Lib. XXIV. Iliad. v. 411. ſqq.* ita cecinit:

Οὔπω τὸν δὲ κύνες φάγον, οὐδ' οἰωνοὶ,
Ἀλλ' ἔτι κεῖνος κεῖται ἀχιλλῆος παρὰ νηὶ.
Αὔτως ἐν κλισίησι, δυωδεκάτη δὲ οἱ ἠὼς
Κειμένῳ, οὐδέ τοι οἱ χρὼς σήπεται οὐδέ μιν σύλαι
Ἔσθους', αἵ ῥά τε φῶτας ἀρηιφάτους καλέδουσιν.

Nondum hunc canes ederunt, neque aves,
Sed adhuc ille jacet Achillis apud navem.

Sic in tabernaculis, duodecimus autem ei dies
Jacenti, neque in aliquo ei corpus marceſcit, neque ipſum vermes
Edunt, qui viros bello interfectos edunt.

Audiamus *Plutarchum*, qui *in Vit. Alex. M. p. m. 593.* de Alexandro Magno refert, ejusdem cadaver per multos dies inſepultum quidem in æſtuoſo Meſopotamiæ regionis loco jacuiſſe, nullum tamen corruptionis ſignum habuiſſe, ſed purum atque veluti recens permanſiſſe. Audiamus *Wilhelmum Burium.* qui *in Notitia Roman. Pontif. p. 223.* de Bonifacio VIII. Romano Pontifice enarrat, ipſum trecentos poſt obitum annos, die XI. Octob. 1605. repertum eſſe toto corpore & omnibus ejus membris prorſus incontaminatum, ita, ut ne quidem in ejus veſtibus quædam animadverſa ſit læſio. Inſtrumentum, quo hoc poſtea ſancitum eſt Publicum, inſertum deprehendimus *Tomo IV. Annalium Eccleſiaſticorum*, quos *Bzovius* ſuo tempore magno cum ſuorum applauſu evulgavit. Audiamus porro *Caſparum a Rejes, qui c. l. n. 26. p. 413.* memorat, quod cum Regis Hiſpaniarum juſſu an. 1656. regia cadavera ad ſplendidiſſimum illud Pantheonis monumentum traducta ſint, invictiſſimi Imperatoris Caroli cadaver adhuc incorruptum & ſine ulla labe, ullaque temporis edacitate aut putredinis carie infectum invenerint. Audiamus denique *Thomam Bartholinum in Reſponſ. de Experim. Bilſ. p. 535.* qui e *Theoph. Raynaudo de Incorrupt. Cadav. c. 2.* recitat, an 1642. Carpentorati refoſſum fuiſſe corpus fœmininum poſt aliquot ſecula incorruptum, quod hiſce deſcriptum tradit verbis: *apte inter ſe commiſſa erant membra, carne tamen ſua & cute, arida tamen & ſubfuſca belle veſtita. Sua uberibus inerat*

mol-

mollitudo, collo lenitas nec non coxendicibus & poſtica pedis dextri parti plane integra & poſt ſcapulas inſueta cadaveri teneritas. Capilli capitis cuti tenaciter adhærebant, aures integræ, lingua arida, laryngis cartilago ſana & vegeta, carne & cute nudata facies, dum vi exhumatum corpus per imprudentiam conciſa. Humor oculorum orbibus continebatur, Chirurgusque Rollerius vulnerariam bolidem capiti immiſſam humore glutinoſo & obſcuro madidam eduxit. Piloſa erant genitalia. Stupæ, quibus vulva obducebatur, integræ viſebantur. Dextram mammam aperuit Chirurgus, digitoque in vulnus immiſſo, carnem glanduloſam candidam & humidam invenit plane incorruptam ſine ullo fœtore. Hactenus Bartholinus.

§. VII.

MAxime memorabile, quod adhuc notari meretur, exemplum, præbet metallifoſſor, nomine *Osvvaldus Barthels*, qui poſt ſexaginta annorum decurſum ex metallifodinis, haud procul ab oppido Miſnico Ehrenfriedersdorff, illæſus ab omni putredinis labe defoſſus eſt. *Andreas Mollerus in Annal. Freiberg. p. 293.* hoc ita recitat: *Anno 1568.* den 20. Sept. hat man zu Ehrenfriedersdorff Oswaldum Barthels, einen Bergmann, welcher für 61. Jahren anno 1507. im Berge, der Seuberg genannt, verfallen, noch ganz und unverweſet in ſeiner ledernen Berg-Kappe und Kleidern mit dem Grubenbeile, Unſchlicht-Taſche und Zſcherper unverſehener Weiſe wiedergefunden, und mit gewöhnlichen Ceremonien beſtattet. *M. Georgius Ruta*, prædicti oppidi tunc temporis Paſtor, poſtea vero Superintendens Chemniti-

ria totius Naturæ omniumq; elementorum, ex quibus cuncta & cœli & terræ producta ſunt ſyſtemata. Clariſſimus *Godofr. Polyc. Müllerus* ex hac prima materia originem quoque totius Mundi Spiritualis & Intelligibilis derivare conatus eſt in *Philoſophia ſua Facult. Sup. accommodata P. 1. Sect. I. §. 2. p. 80. ſqq.* ſed quam ſobrie & accurate hoc fecerit nobis non datur diſquirere. Interim ſi neglexiſſet iſtud ubique nos firmo pede Philoſophicis ejus veſtigiis inſiſtere haud dubitaverimus, ut re ſic conſtituta, ex parte id tantum facturi ſumus.

§. X.

DEus itaque præter Spiritus immediate principium aliquod univerſale produxit, ita vivum & potens, ut ex eo omnium corporum Syſtemata ordine a Deo determinato evolvi potuerint. Hoc principium primam quidem diximus materiam, eam tamen in ſola extenſione ſubſtitiſſe negamus. Extenſio enim tantum affectio entis eſt, quæ ſine re extenſa nec exiſtere nec quidem concipi poteſt. Rectius igitur materiæ huic primæ attribuimus ceu eſſentialem proprietatem, finitam aliquam *vitilitatem*, quæ per innumeras & vegetandi & ſentiendi optime deſcribi poteſt potentias. Deus enim tanquam ipſa ſubſtantialis & infinita Vita in actu creationis non potuit non vivus & activus eſſe, quapropter etiam non mortuum & potentiis deſtitutum ens produci potuit. Hoc vero ens vivum idque primum innumeros in ſe habuit fines, qui exinde evolvi debebant. Sic e. g. in eo latuit potentia plantas formandi, antequam ipſæ jam plantæ extiterunt. Simul ac itaque Deo dicere placuit: *fiat planta*, potentia hæc in effectum tranſiit.

§. XI.

VItalitas hæc, Materiæ primæ propria, iterum ex duabus conſtabat proprietatibus, ſcilicet *Vegetantia & Senſione.* Omnis enim vita involvit potentiam ſeſe movendi vel a peripheria ad centrum vel a centro ad peripheriam, quam duplicem mobilitatem, ſi *Actionem & Paſſionem* dixeris non erraveris. Mareria prima cum itaque ens vivum ſit, quis ei non facultatem & appetendi & percipiendi concederet? Prima facultas ſeu Appetentia nobis jam dicitur *Vegetantia* & definitur per naturale & a Deo ingenitum implantatumque deſiderium ſeſe partim conſervandi partim pluribus extendendi; vel prout *God. Pol. Mullerus c. l. p. 81.* ſuam primi entis Activitatem deſcripſiſſe videtur: *Deſiderium tendens ad innumeros fines a Deo conſtitutos per media ab ipſo concreata.* Altera primæ materiæ facultas ratione Vitalitatis eſt *Percipientia*, ſeu ut vulgo audit, *Senſio*, quæ animadverſio mediorum eſt per gratitudinem aut ingratitudinem percepta.

§. XII.

DUplex hæc primi entis proprietas cum omnibus poſtea corporibus communicata eſt, ita, ut ſecundum hanc univerſalem vitalitatem tota Natura & omnia ejusdem corpora quaſi uno nexu cohæreant. Clariſſimus *Müllerus in Philoſ. P. I. p. 137. ſqq.* nexum hunc omnium corporum inter ſe, Formam vocavit *Univerſalem*, quæ cum *Ariſtotelis* ἐντελεχία eadem eſſe videtur Alii appellarunt *Archeum mundi*, alii *Animam mundi*, ſed utrumque minus commode, quia ad Spinoſismum ducit. *Theophr. Paracelſus Lib. I. Chir. Mag. c. 2. p. 3. & Helmontius* nominant *balſamum vitalem*, quem *Jo. Bickerus in Hermet. Redir. Sect. 1. c. 3. p. 42.* ita deſcripſit: *Hic balſamus*

Digitized by Google

ſamus corporis vita eſt & aſtrum, quo corporis membra vitalibus radiis illuminantur, perinde ut ſolis lumine tota magni mundi machina illuſtrari ſolet.

§. XIII.

NOs principium hoc diximus Vitalitatem, toti Naturæ communem. Cum enim Deus in actu creationis hujus univerſi per condenſationem ex ſupra deſcripta prima materia produceret *elementa*, non potuit non fieri, ut ſingula ſimul vitalitatem materiæ primæ participent. Sunt vero elementa aliquid coagulatum ac figuratum & diſtinguuntur plerumque a Philoſophis in *primaria* & *ſecundaria*. Elementum primarium eſt ea materiæ primæ particula, in qua unica tantum ſenſibilis eſt qualitas, ut in igne luciditas & in aqua fluiditas. Elementum ſecundarium vero eſt, quod duas pluresve qualitates ſenſibiles habet manifeſtatque, ut e. g. ſulphur, quod ſimul & ignis & aëris in ſe habet qualitates. Ex hac igitur elementorum mixtione omnia conſtant, quæcunque in cœlis & terris dantur corpora, quæ ſingula quidem ſpecificam ſuam iterum habent vitam, nihilominus tamen ratione elementorum, ex quibus compoſita ſunt, & ratione univerſalis vitalitatis in ſe perpetuo cohærent nexu, ita, ut ne quidem in morte ceſſet iſte nexus, utpote qui non niſi cum ipſa interiturus eſt Natura.

§. XIV.

REdeamus nunc ad hominem. *Homo* ex duabus recte dicitur conſtare partibus eſſentialibus, *anima* nimirum & *corpore*. Anima ſpiritus eſt & hinc omnis materiæ expers; Corpus vero ex prima materia conditum

Digitized by Google

atque compoſitum. Facile exinde liquet, corpus per ſe ſpectatum ſpecificam ſuam habere vitam atque formam, quæ a vita hominis conjunctim conſiderati prorſus diſtincta eſt. Hinc *Theodorus Craanen in Tract. Phyſico-Med. de Homine c. I. p. 2. it. p. 236.* non adeo male ſcripſiſſe videtur, quando inquit: *vita noſtra proprie loquendo non ſpectat ad mentem, ſed ad corpus, quoniam plura alia corpora, qualia ſunt brutorum animantium, nec non plantarum vivere animadvertimus: neque putandum, corpus humanum mori, quod mens a corpore recedat, ſed ex eo potius, quod corpus recedat a mente, quatenus organa ejus, quæ ad vitam perfectam & exactam requiruntur, vitiantur & corrumpuntur, ut mens iis amplius uti nequeat, ad imperia ſua per corpus diſtribuenda functionesque ſuas peragendas.* Pluribus hoc demonſtratum videmus apud *Carteſium in Tract. de Paſſionibus §. 5. ſqq.*

§. XV.

Nos his adſtipulamur. Hominis corpus ex materia vivida & vegetante conditum eſt. Hinc creſcere & nutriri, hinc debilitari & corroborari, hinc morbidum fieri & iterum reconvaleſcere poteſt. Quæ omnia de anima dici nequeunt, quippe quæ Spiritus eſt, in cujus eſſentiam ceu ſimpliciſſimam nulla unquam cadit mutatio. Interim hominis vita omnino ab anima pendet, quia homo homo eſſe deſinit, ſimul ac aliqua pars conſtitutiva ſeu eſſentialis incipit ceſſare. Quicunque itaque animam reddidit, jure dicitur mortuus eſſe, quia reſiduum corpus, corpus quidem, at non homo dici poteſt.

§. XVI.

QUæritur nunc, utrum corpus reddita anima adhuc manere poſſit vividum ac vegetans. Nos ſecundum principia noſtra non negamus. Deus condidit humanum corpus, antequam jam extaret anima. Fontes ſacri Codicis ſi introſpicimus, expreſſis hoc indicant verbis *Gen. II, 7.* Ex iis enim patet, Deum hominis ſubſtantiam non aliter quam ſucceſſive creaſſe, & eo quidem ordine, ut primum corpus ex particulis maxime terreis formaverit, & poſtea demum ei immediate inſpiraverit animam. Quum igitur corpus jam ante animæ exiſtentiam formatum ſit, non potuit non illud per ſe ſpectatum fuiſſe vividum. Deus immortalis enim mortuum quid creare nequit. Hinc prima quoque materia vigens fuit atque vegeta. Et cum humanum corpus ex eadem & non ex alia, quæ mortua, conditum ſit materia, omnino quoque vigens ac vegetum eſſe debuit. Habuiſſe itaque in ſe carnes & venas, habuiſſe ſanguinem & humores, & quicquid ad verum corpus humanum requiritur, conſtat, etiamſi adhuc Spiritus, ceu altera hominis pars conſtitutiva, defuerit. Quæ ſi ita ſe non habuiſſent, corpus non verum corpus, ſed forſitan ſtatua aliqua vel ſalinea vel lapidaria fuiſſet; quod tamen dictu abſurdum foret.

§. XVII.

HUmanum itaque corpus ex materia conſtat, quæ per ſe vivida eſt ac vegetans, & quæ omnibus corporibus totius naturæ communis. Nemo hinc dubitabit, quin corpus hoc nexu ſuo cum tota quoque

eo

cohæreat Natura ſecundum illud univerſale vitalitatis principium, quod ſupra jam deſcripſimus. Tota enim Natura unum quaſi corpus eſt in omnibus individuis obvium atque præſens. Et ſi quoque individuum ſpecificam ſuam deponat vitalitatem, non tamen univerſalis vitalitas propterea in eo ceſſat, utpote quæ omnibus corporibus ſemper communis eſt. Quamdiu ergo deſtructibile corpus adhuc extat; tamdiu quoque vitam aliquam in ſe habere poteſt; ſi non reſpectu totius compoſiti, reſpectu tamen certarum partium inter ſe homogenearum. Omnis enim corporum naturalium ſolutio requirit, ut in corpore aliquid heterogenii adſit, ſeu, ut ajunt, menſtruum, quod analogas extrahat ex corpore partes. Hoc ſi deeſt, corpus deſtrui nequit. Pluribus hoc demonſtrat, & quidem ſecundum noſtram hypotheſin omnium optime, *God. Pol. Müllerus in Philoſ. Part. I. ſect. 2. c. 9* ubi de corporum unione & ſolutione prolixiſſime philoſophatur.

§. XVIII.

His principiis breviter præmiſſis, nobis facillimum erit, phænomena illa exponere & dijudicare, quæ ratione vegetantiæ in ſic dictis mortuis maſticantibus plerumque ſolent obſervari. Pertinent huc, ſi vel ſolum Hungaricum intuemur exemplum, cadaveris incorruptio, pilorum excretio, cutis renovatio, unguium incrementum, cordis cruentatio, penis erectio, & quæ ſunt cætera. Antequam vero nos ad ſingula hæc explicanda accingimus, in genere aliquid jam de cor-

Digitized by Google

porum defunctorum incorruptibilitate & ejus cauſis naturalibus commemorandum ducimus.

§. XIX.

HOc primum jam poſitum ſit, hominis corpus ex elementis & primariis & ſecundariis compoſitum eſſe. Conſtat ex terreis, aqueis, igneis & aëreis particulis, conſtat quoque, ſecundum principia Chymica, ex ſale, ſulphure & mercurio. De exiſtentia ſalis ſicut a poſteriori edocemur, teſtantur urina, ſanguis, & caro, quæ ſingula ſuo ſapore gaudent. De ſulphure docent pinguedo, odor, color & combuſtibilitas; de mercurio vero fragibilitas, mutabilitas & mortalitas. Si itaque corpus interit, reſolvitur in ſua principia, ex quibus conſtat, quod fit per fermentationem, quæ ſecretio eſt craſſioris & heterogeneæ materiæ. Ubi omnes igitur partes inter ſe homogeneæ ſunt, ibi quoque non facile dabitur deſtructio. Heterogeneum quid adſit neceſſe eſt. Poteſt vero hoc multiplex eſſe pro diverſitate cauſarum & externarum & internarum. Simul ac vero heterogeneum quid in corpore ſentitur, corpus morbidum fieri incipit, quod, ſi ope Medicorum aut Chirurgorum non juſto tempore removetur, ipſam denique mortem contrahit, quæ nil aliud eſt, quam ſolutio compoſiti in ſua ſimplicia. Vita itaque ſpecifica in morte quidem incipit ceſſare, non vero vita univerſalis, quæ primis principiis & elementis eſſentialiter inhæret, corpusque cum vegetantia ſua potentiaque non derelinquit, niſi totum deſtructibile in ſua ſimplicia reſolutum ſit.

§.

Digitized by Google

§. XX.

REſolutio hæc alias quoque dicitur putrefactio, qua beneficio humidi caloris corporis ſpecifici elementa ſecernuntur. Fit hoc per extraordinariam aliquam ſalium & ſulphurum circulationem, quæ ſenſim ſenſimque ita diſſipantur, ut tandem ne umbra quidem de corpore remaneat. Quælibet tunc particula incipit fermentare & ad ſui analogum tendere, ut ſe iterum cum eo uniat. Sic e. g. partes ſalinæ, ſi ſemel extra compoſitionis ſuæ leges poſitæ ſunt, non quieſcunt, niſi de fermentante corpore ſuo prorſus receſſerunt & ſibi conforme invenerunt. Hoc ſi reliquæ quoque fecere partes, ut ſulphureæ, mercuriales aliæque, & nobiliores & ignobiliores, quid quæſo de corpore remaneat? Singula abeunt ad ſui ſimilia & de ſe nil niſi locum relinquunt. Uno verbo hoc dicere conſvevimus Putrefactionem, quæ non niſi cum ipſo cadavere ceſſat.

§. XXI.

QUando itaque quæritur, unde hinc cadaverum incorruptio? Facile nobis reſpondendum eſt, efficere hoc partium homogenearum præſentiam. Hæc fermentantis corporis deſtructionem non modo impedit, ſed tamdiu quoque in ſtatu quo? conſervat, uſque dum fortius accedat menſtruum, id demum reſolvens. Pro diverſa temperamentorum & complexionum ratione diverſimode quoque efficitur corporis incorruptibilitas. Nexus naturalis, qui iisdem cum externarum partium qualitatibus intercedit, univerſalis noſtræ vitalitatis principio debetur, quod in

ſua cohærentia unam quaſi conficit vitam, unumque corpus. Ubi igitur heterogenearum partium copia non homogenearum numerum ſuperat, ibi quoque non facile deprehenditur corruptio, quia non menſtruum concernit, analogas quod ex corpore extrahat partes.

§. XXII.

PHyſici in ſtruendis hujus rei cauſis non conveniunt. Ut plurimum ſolent referre ad Naturæ benignitatem & corporum complexiones: Cujus ſententiæ etiam videtur eſſe Cl. *Garmannus* in ſuo *Tract. de Mirac. Mort. p. 960. ſq.* qui ſimul plures iſtius ſententiæ patronos in ſui præſidium advocat, de quibus vel ſolum jam allegaſſe juvat *Zacchiam, Lib. IV. Quæſt. Med. Leg. p. 364.* Hujus autem arbitratu temperamentum calidum & ſiccum in cauſarum ſerie primum ſuſtinet locum, cum juxta *Antonium Santorellum in Poſt. Prax. Med. c. 21. p. 135.* & omnes fere ſuperiorum ſeculorum Philoſophos Medicoſque humiditas putredinis mater exiſtat. Verum ſi rem a priori intuemur, cauſam non in temperamento ſed in aliis externis deprehendimus rebus, quæ juxta ſuam analogiam naturali nexu cum eo conjunctæ ſunt. Sic omnino quidem calida & ſicca difficulter, imo aliqua prorſus non putreſcere credimus *Jo. Joach. Bechero in Phyſ. ſubt. ſect. 5. c. I. p. 311.* at quid aliud cauſæ eſt, quam quod partes aëreæ, ſiccis corporibus maxime inſitæ, influxu aëris analogi in ſua compoſitione ſerventur, quamdiu ſcilicet carere poſſunt fortiori menſtruo partes homogeneas tollente.

§.

§. XXIII.

IDem quoque accidit cum corporibus humidis, quæ haud difficiliori negotio poſſunt conſervari incorrupta. Hoc ne *Garmannus* quidem negare tentat, quanquam rationibus, cur id fiat, deſtitutus ſit. Expreſſis enim verbis *c. l. p. 963.* concedit, *in adipem aut pinguedinem vim ſuam in ſubterraneis locis non facile exercere* διάλυσιν. Exempla ipſi non ſunt incognita. Quapropter ſe non ſemel olim a veſpillonibus audiviſſe fatetur, in cœmeteriis magnam adipis & pinguedinis copiam de cadaveribus putrefactis repertam eſſe. Et quid non præter hæc in puteis interdum de incorruptis corporibus inventum eſt? In primis in admirationem trahitur cerebri in cryptis ſubterraneis conſervatio, cujus tamen liquida & unctuoſa ſubſtantia alias citius quam exiſtimaveris liqueſcere ſolet. *Petrus Borellus in obſerv. Med. Phyſ. cent. 2. p. 133.* enarrat, *e puteo aliquo Dominicanorum Caſtrenſium ſexaginta circiter hominum olim jugulatorum oſſa eruta fuiſſe, ubi ultra octuaginta delituerunt annos, in quibus ſingulis cranii medulla adhuc mollis & non fœtens fuit reperta.*

§. XXIV.

NOſtrum jam non eſt, omnes hujus incorruptibilitatis cauſas indagare, quas ex doctorum numero unus vel alter pro hypotheſeos ſuæ ratione venditat. Omnes ad unum reducimus principium, quod eſt univerſalis hujus univerſi vitalitas. Si non adeſt menſtruum in deſtructibili corpore, nec adeſſe poteſt corruptibilitas. Hoc quoque animadvertendum puta-

Digitized by Google

mus in prodigio noſtro Hungarico, *in ſuperiori Diſſertatione* §. *XII.* deſcripto. Multæ adeſſe potuerunt cauſæ, cur defunctum illud corpus non invenerit partes ſibi homogeneas, cum quibus in ſua deſtructione potuiſſet uniri. Si nobis modo liceret, Hungaricæ plagæ indolem & naturam exquirere, facilius foret, hac de re diſſerere. Re autem ſic conſtituta, genuina hujus incorruptionis cauſa nos ſemper fugiet. Ex relationibus eorum, qui regiones iſtas peragrarunt, hoc ſaltem, ſi aliqua ipſis habenda eſt fides, liquet, terram iſtam non adeo contrariam eſſe corporum incorruptibilitati. Aër valde compreſſus eſt & frigidus, terræ vero ſolum admodum ſalſamentarium & aquæ paludoſæ plenum: quæ omnia balſamicam fovent virtutem.

§. XXV.

HUngaria quidem admodum morbifera eſt, & non ſemel laboravit peſte. Sed hoc non tollit noſtram hypotheſin. Quo major interdum vitioſitas cœli eſt, eo benignius eſt gremium terræ. Natale ſolum cuilibet ſaluberrimum. Innotuerunt nobis hactenus ex Hungaria & quidem ex ipſa illa regione, in qua Plogojovitius noſter deim ſuum obiit, exempla hominum, qui ætatem centum & ſeptuaginta annorum ſuperarunt. Ex quo ſatis apparet, quod ſi vel maxime peregrini milites in illis oris interdum quaſi gregatim ceciderint, cœli tamen ſitus incolis ipſis & qui ipſorum vitam vivere conſveverunt, non adeo pernicioſus ſit atque funeſtus. Hoc ſaltem certo certius eſt, Hungaricæ

r'cæ terræ ſolum ad corpora a corruptionis intempe-r e vindicanda admodum eſſe idoneum.

§. XXVI.

PLogojovitius noſler ſine dubio animam efflaverit morbo non hectico nec diuturno, ſed fortaſſe violento. Si nobis modo ſuppeditaretur occaſio, hujus hominis mortem indagandi, ipſam forte deprehenderemus in ſumto veneno. *Datur enim venenorum genus, quibus aſſumtis animalia quidem enecantur, ſed corpora tamen non liqueſcunt nec verminationem patiuntur*: ut ait *Seneca Lib. II. Nat. Quæſt. c. 31. Paulus Zacchias* ad id propterea provocat, & pro nota genuina aſſumti veneni agnoſcit *in Quæſt. Med. Legal. T. III. conſ. 17. n. 8. p. 23.* Exemplum Alexandri Magni de ſuo hoc corroborat teſtimonio, quippe de cujus corpore exanimo *Q. Curtius Lib. X. c. 10.* hæc refert: *nulla tabe ne minimo quidem livore corruptum videre, qui intraverant; vigor quoque, qui conſtat ex ſpiritu non deſtituerat. Itaque Ægyptii Chaldeique juſſi corpus ſuo more curare, primo non ſunt auſi admovere velut ſpiranti manus: deinde precati, ut jus faſque eſſet mortalibus attrectare eum, purgavere corpus repletumque eſt odoribus:* quibus denique addit: *veneno necatum eſſe credidere.*

§. XXVII.

DE opio aliisque ſomnificis medicamentis conſtat, quod mortem contrahant, ſi non debito more ſumantur. Talis vero mors quid aliud eſt, quam ſomnus quidam profundiſſimus, qui ſpiritus animales ita

Digitized by Google

cingit, cerebrum ita capit, ut omnis halitus, omnisque arteriarum pulſus, imo ipſa vita exſpiret. Uti vero ejusmodi mortuus alto quaſi & gravi ſomno ſopitus jacet, ita quoque corpus ejusdem nil nondum perpeſſum eſt, quod œconomiam animalem turbet & deſtruat. Homo quidem vere deſiit eſſe vivus, at corpus tamen nondum formam ſuam amiſit, quia partes ejus adhuc homogeneæ manſerunt nullumque receperunt menſtruum. Quando itaque corpus ſtatim ſepelitur, antequam jam aliquid heterogenii accepit, facile fieri poteſt, ut ad tempus in ſuo flore & vegetantia incorruptum maneat; inprimis ſi terra, cui mandatur, & ſepulchrum ipſum ad ejus conſervationem naturaliter faciant. Noli itaque mirari corpus Plogojovitii noſtri, quod diu poſt mortem adhuc integrum & incorruptum deprehenſum ſit.

§. XXVIII.

TOtum vero ſi incorruptum manere potuit corpus, quidni partes ejusdem? Supra jam monuimus, in Hungarico noſtro exempla multa occurrere, quæ in ſingularem trahi mereantur obſervationem. Et huic jam operam dabimus. Quicquid autem nobis hic dicendum ſit, reſpondet antea dictis. Hypotheſin itaque noſtram non repetemus, ſed de ſingulis duntaxat phænomenis aliquis nobis erit diſſerendi locus. Hoc ſaltem in anteceſſum dixiſſe juvat, partium corporis non unam eandemque eſſe complexionem. Datur quidem omnium inter ſe membrorum naturalis competentia, membrorumque commenſus juſtas ſuas habet ſymmetriarum rationes, quodlibet tamen mem-

brum,

brum, in ſe ſpectatum, ſpecifica ſua gaudet partium compoſitione, qua ab aliis & munere & indole diverſum eſt. Si itaque unum alterumve minus ſibi analogas in deſtructione invenit partes, cum quibus poſſit uniri, diutius a putredinis labe ſolet conſervari. Pluribus hiſce inhærere, non opus eſt, quia in noſtro exemplo non tam partes quædam, quam potius totum corpus conſpicitur incolume. Quicquid autem in eis ſingulare fuit, effectus ſunt ſuæ vitalitatis.

§. XXIX.

PRimum vero, quod effoſſo corpore animadverterunt homines, fuit odor non putredinem ſpirans. Sed hoc non mirum, quia putredini nondum datus eſt locus. *Alterum* autem, quod obſervarunt, majoris eſt indaginis. *Naſum* enim, licet totum corpus integrum fuit, deprehenderunt collapſum. Solet hoc ut plurimum in ejusmodi corporibus animadverti. Teſtem hujus rei habemus *Anton. Santorellum*, qui in *Poſt. Prax. Med. c. 42. p. 140.* dudum in corpore B. Jacobi de Marchia Neapoli, item Venetiis in corpore S. Helenæ obſervavit, *quod ſi partes omnes corporis ſint incorruptæ, extrema tamen pars narium fere ſemper deſideretur.* Negat vero partem illam corruptam, quanquam videatur corrupta. *Videtur enim deficere*, pergit, *quia extrema pars narium cartilagini hæret, non alicui oſſi. Cartilago autem exſiccata facile contrahitur; contracta illa, contrahitur caro cutisque illi innixa: unde cum non extendatur ad eam uſque ſpatii partem, ad quam antea videtur defeciſſe, eſt corrupta, cum tantum ſit illa contracta ob ſiccitatem,*

ſicut

ſicut obſervamus in corio & pellibus. Nos huic opinioni adſtipulamur & exempli loco allegamus Julium Cæſarem, qui cum Alexandri M. cadaver attrectaverit, naſi quoque partem ex hac attrectatione fregit. Narrat hoc *Dio Caſſius Lib. LI. Hiſt.* & ex eo *Jo. Xiphilinus p. 454.*

§. XXX.

PORRO in Plogojovitii corpore cecidit in cernendi ſenſum, *barbæ, unguium* & *pilorum* augmentum. Sed quid miramur, cum unguium & pilorum non alia detur ratio? Si nobis jam relictus ſit locus in eorum naturam inquirendi, hujus rei veritatem multis planam faciemus. Sufficiat inpræſentiarum vel ſolius *Garmanni* hypotheſin noſtram facere, qui nec pro corporibus excrementis nec pro ejusdem partibus venditat. Ipſi ſunt *quaſi peculiare vegetabile, quod haud ſecus quam muſcus vel herba aliqua in arbore creſcens, ut polypodium, ſeparatam & diverſam ab arbore vitam vivit, licet ex arbore viva nutrimentum ſuum deſumat. Vitæ diverſitas ex eo patet, quia mortua arbore adhuc vivit & creſcit, quouſq; vel ex mortua arbore vel aliunde conveniens habere poteſt nutrimentum. Sic etiam pili, quouſque e corpore vel vivo vel mortuo conveniens nutrimentum ipſis confertur, ſuam vitam peculiarem vivunt & ad juſtam magnitudinem increſcunt; quam vitam reliquis partibus, non eſſe communem docet illud, quod mors bilis non ſit communis cum reliquis partibus, quippe ablata anima moriuntur omnes partes eadem anima animatæ, ſed non pili, utpote quos diu poſt hominum mortem vixiſſe & increviſſe multoties obſervatum eſt.* Hæc *Garmannus*

Lib.

Lib. I. Tit. I. p. 20. Idem quoque affirmandum eſt de unguibus. Sunt enim ungues & pili ſecundum *Franc. Merc. Helmontium in Alph. Nat. coll. 4. p. 32.* ex una & eadem materia, viſcida nempe, quia ſi coquantur, gelatinam dant. Mucum glutinoſum propterea vocavit *Hippocrates*. Interim piloſum gluten non ita terreſtri ſqvalore abundare prout unguium, quivis facile concedet *Garmanno Lib. I. c. X. p. 274.* credetque cum *Jo. Dolæo in Encycl. Chir L. I. c. 2. p. 27.* pilis unguibusque unum idemque eſſe nutrimentum. Hæc cum ita ſint in Plogojovitio noſtro nil propterea in prodigium trahi meretur.

§. XXXI.

QUod vero ad *cutem* attinet, illa quaſi decorticata viſa eſt. Hoc non miraberis, ſi ejus intueris naturam ſtructuramque. Cutis enim conſtat ſecundum *Heiſterum in Compend. Anat. p. m. 46.* ex nervoſis fibris mirum in modum in ſe invicem implicitis, & eſt quaſi commune ſanguinis emunctorium, quo ſudoris & transpirationis beneficio ſuperfluus ſanguis excernitur. Quouſque excretio hæc locum habet, cutis humida eſt & ſiccitate libera, ubi vero ceſſat, ſuperioris cutis fibræ exſiccantur & decidunt. Quum itaque corpori ſub terræ tumulo non facile detur ſudoris transpirationisque locus, liquet inde, cur Plogojovitius noſter effoſſus depoſuerit cutem ſuam. Fibræ enim ejus extremæ ob ſiccitatem deciderunt. Novam vero quod ſimul genuerit cutem, adſcribendum eſt corporis vegetantiæ, qua interiores fibræ ita fœcundatæ ſunt, ut ſtatim in novam cutem abierint.

§.

Digitized by Google

§. XXXII.

NUnc nobis in effoſſo corpore noſtro ad perluſtrandum ſe ſiſtit ejus *cruentatio.* Narrat enim *Cæſareus* ille *Proviſor*, cui totam hanc relationem debemus, ſe in defuncti Plogojovitii ore vivum deprehendiſſe ſanguinem, de quo communem tunc ſermonem fuiſſe refert, ab ipſo exſuctum eſſe ex interfectorum corporibus. Sed judicium hoc ceu anile exploſimus jam in *Priori Differt.* §. *XXX. ſqq.* Ad ipſum vero quod attinet repertum ſanguinem, de eo omnino nobis hic aliqua diſſerendi copia erit. Cruentatio cadaverum in ſe ſpectata ubique tam cognita ac judicata res eſt, ut in genere de iſta hic aliquid dicere ſupervacuum putemus, præſertim cum ſæpe laudatus *Garmannus* totum Titulum de hac re in literatiſſimo ſuo Opere *de Miraculis mortuorum* conſcripſit. In totum phænomenon hoc negari nequit, quanquam in allegandis cauſis non conveniant rerum phyſicarum ſcrutatores. Nos duplex apud illos invenimus cauſarum genus. Quædam ſpectant ad Phyſicam ordinariam eamque quaſi externam, quædam vero ad Phyſicam occultam ſeu Magiam Naturalem. Cum Magia Naturali nobis jam non intercedit commercium, cum ex ſolius Phyſicæ ordinariæ principiis enodari queat, quicquid cruenti in effoſſo corpore defuncti Plogojovitii fuit animadverſum.

§. XXXIII.

COrpus hoc vigens fuit ac vegetum, cur quoque non ſanguis fuiſſet ejuſdem conditionis? In ſangui-

ne

ne enim conſiſtit corporis vita; ſi ſanguis itaque ceſſat, ceſſat & ipſa vita. Quod vero ſanguis tamdiu in defuncto corpore ſubſiſtere poſſit, teſtantur plus centum exempla apud Scriptores profanos. Plerique quidem niſi poſt ſeptem aut octo vel ad ſummum decem vel duodecim horas talem ſanguinis fluxum non obtingere contendunt; dantur vero alii, qui eundem cum *Cornelio Gemma Lib. I. c. VI. p. 73.* ad tertium diem, cum *Hieronymo Cardano Lib. III. de Util. ex adv. capiend. p. 728.* ad quartum hyeme extendunt. Verum nullam hic habendam eſſe temporis rationem autumo. Legimus enim id contigiſſe non modo poſt unam aut duas ſed quoque apud *Thom. Campanellam* poſt tres, apud *Jo. Manlium* poſt quatuor, apud *Gregor. Horſtium* poſt quinque hebdomades, imo apud *Jo. Boëmum* poſt duos menſes: quos omnes citatos vide in *Garmanni Tract. de Mirac. Mort. Lib. II. Tit. VII. §. 96.* Locum hic quoque merentur obſervationes, quas *M. Georgius Chriſtophorus Ludwig*, Paſtor Linſenhofenſis in ſuo Tractatu, quem nuncupant: Rottn-Ackers Trauer-Tag, habet, ubi infortunium, quod Danubius interrupto ponte ante aliquot annos Rottn-Ackeri in Ducatu Würtenbergico inundatione ſua fecit, deſcripſit. Sunt enim tunc nonnulla corpora, quæ per quatuor aut quinque hebdomades in aqua latuerunt, calore ita refecta, ut nares inceperint ſanguinare. Recenſent hæc *Autores Actorum Eruditorum Germ. P. XIII. p. 77. ſqq.* Non itaque habes, quod in Plogojovitio noſtro mireris, ipſum elapſis jam duobus menſibus poſt humationem adhuc verum habuiſſe ſanguinem. Nobis nil hic miraculi eſt

præ-

Digitized by Google

præter ſanguinem in ore repertum. Verum cum nobis non conſtet, quibus inſtrumentis iratiſſimi illius loci incolæ clauſum defuncti os aperuerint, creditu facillimum eſt, ipſos vim intuliſſe corpori.

§. XXXIV.

Reliquum adhuc eſt, in exponendis corporis noſtri phænomenis etiam ſigna illa indagare, quæ *Cæſareus Proviſor* in referendo caſu ſuo nuncupat fera, wilde Zeichen, & quæ niſi læſo honore non audet indicare. Sed conjectura facile augurari poſſumus, hiſce non aliud quam *erectionem penis* tacere. At quid tacendum, quid mirandum, cum tot exempla præſtent corporum, quæ intentum rigidumque poſt mortem exhibuerunt penem? Accedamus modo *Ambroſium Stegmannum*, qui *M. C. D. 3. A. 4. obſ. 105. p. 221.* ſe plus ſimplici vice oculis ſuis in demortuis erectionem penis adhuc integrum vidiſſe memorat. Adeamus *Garmannum*, qui *Lib. I. Tit. XI. p. 291.* ſæpius ſe a militibus percepiſſe fatetur, quod in acie cadentes ut plurimum erecto ceciderint pene. Audiamus *S. P. Sachſium*, qui in Turcis ad S. Gothardum cæſis ſe ipſum vidiſſe refert apud *Garmannum c. l.* quod exutis veſtibus membrum adhuc rigidiſſimum ſervaverint, ac ſi novum in campo veneris ſubituri eſſent prælium.

§. XXXV.

Quid cauſæ hic inſit? facile indagari poteſt. Sed pro diverſitate exemplorum diverſum quoque datur cauſarum genus. Qui priapiſmo moritur, aut ut Menelaus

in-

inter opus medium laſciva morte ſolutus,
ut plurimum erectum conſervat penem usque dum putredinis labe conſumitur. Huc quoque faciunt omnia *Aphrodiſiaca* e. g. purgantia, Cantharides, Satyrion, Bangue, Cannabis, Maslach, opium, fumus Tabaci & radix Aſparagi in pituitoſis, Boletus cervinus &c. de quorum effectibus mira paſſim *Garmannus* noſter recenſet in vivis & mortuis corporibus phænomena. Ad hanc vero erecti penis conſervationem aliquid quoque conferre poſſe imminentis mali metum, quis non Garmanno crederet? *Videmus enim*, inquit, cit. Aut. p. 304. *in maleficis ad ſupplicium dandis non tantum externas corporis partes e. g. pedes rigere, ſed & expultrices ſtimulari ita, ut excrementa alvi veſicæque egerint imo & ipſum ſemen: in junioribus igitur facile fieri poſſe, ut rigentibus partibus vicinis etiam rigeat penis.* Erecto vero pene qui moritur, erectum quoque in morte conſervat penem. Dudum hoc experientia fecit probatum. Cum enim nervi & tendines ſimul ac in morte officio ſuo deſiſtunt, defrigeſcant, facile inde patet, cur corporis partes in morte ut plurimum rigeſcant & in eo ſitu maneant, quo obierint. Notabile hinc eſt exemplum, quod *Thomas Cantipratanus Lib. III. Mir. & Exemp. ſui temp. p. 331.* de presbytero & moniali in concumbendo mortuis recenſet. Hos enim vetula aliqua monialis inflexis cruribus brachiisque in lecto jacentes ita conjunctos deprehendit, ut nullo modo a ſe invicem poſtmodum potuerint ſeparari.

§. XXXVI.

HÆc cum ita ſint, quis miretur in defuncto Plogojovitio noſtro penis erectionem? Penis ſpongioſæ

eſt naturæ, qui immiſſo liquore vel flatu per arteriam hypogaſtricam ſtatim in cadavere erigi poteſt, prout teſtatur *Regnerus de Graaff de organ viror. p. 154.* it. *de uſu Siphon. p. 230.* Qvum itaque corpus totum fuerit vegetans, ut ſupra demonſtravimus, cur quoque non penis? Accedit, quod forſitan opio extinctus ſit. De opio vero, ut ſupra monuimus, conſtat, in terris orientalibus vim habere ſtimulandi. In hujus uſum adhibuiſſe propterea legimus Perſas, apud *Tavernier in Itin. Perſ. L. V. p. 269.* Indos, apud *Jac. Saar* in Oſt-Ind. Kriegs-Dienſte. *p. 12.* imo Turcas, quorum Maslach idem eſt, ut reputat *J. C. Scaliger Exercit. 154. p. 615.* it. *Dan. Sennertus Med. Pract. Lib. I. p. 329.*

§. XXXVII.

Aſt ſi quæramus, annon forſitan tum demum ſe virga erexerit, cum aperuerint Hungari noſtri ſarcophagum? Relationem Proviſoris, ut *in novellis publicis* occurrit, ſi intuemur, vix poterit iſtud negari. Sed quid tum? Si vel maxime hoc factum ſit. Corpus incluſum eſt, & ab omni aëris adſpiratione ita remotum, ut non mirum ſit, quod cadaver aperto loculo novum acceperit motum, inprimis, cum adhuc vigens fuerit atque vegetum. Ipſe *Garmannus l. c. p. 305.* non poteſt negare, *tumorem penis urgente calore putredinali aliquantiſper adaugeri poſſe, dummodo penis antea fuerit rigidus.*

§. XXXVIII.

HÆc de vegetantia cadaveris ſufficiant. Nunc ad *alterum* quod in talibus mortuis defendendum ſuſcepimus, *phænomenon* accedimus, *nocivam* ſcilicet

ipſo-

ipſorum in vivos operationem. A principiis phyſicis nobis exordiendum eſt. Supra jam *ad* §. *X. ſqq.* demonſtravimus, primam materiam, quam Deus condidit, gaviſam eſſe duabus eſſentialibus proprietatibus, *Vegetantia & Percipientia ſ. Senſione*, quæ uno verbo diximus *vitalitatem.* Ad vegetantiam, primam noſtri principii proprietatem, quod attinet, de ea hactenus ſatis diſſeruimus, ſufficienterque exinde enucleavimus, quicquid ad demonſtrandam maſticantis noſtri cadaveris vegetantiam facit. Reliquum nunc eſt, de altera quoque primæ Materiæ proprietate, *Senſione* ſcilicet, verba facere, ut alterum quoque noſtri cadaveris phænomenon exinde explicare queamus.

§. XXXIX.

SEnſionem hanc jam ſupra deſcripſimus tanquam animadverſionem mediorum per gratitudinem aut ingratitudinem perceptam. Quicquid in Natura eſt, tendit ad ſui conſervationem. Media vero conſervationem hanc conſequendi non poſſunt appeti, niſi fuerint ſenſu percepta. Senſio autem hæc probe diſtinguenda eſt a Senſione modificata particulari, quæ animalibus eſt propria. Intelligimus enim hic ſenſionem ſimplicem toti Naturæ communem. Sicuti vero nulla datur ſenſio ſine attactu, ita quoque ſenſio hæc non fit niſi per attactum. Quicquid autem ſentitur, vel gratum eſt vel ingratum. Si gratum eſt, ſequitur inde Sympathia, ſi ingratum, Antipathia. Et hoc eſt principium totius Magiæ Naturalis. Conſentit in hoc ex parte nobiſcum *Ferdin. Santanelli in Philoſ. ſua recondita explanatione*, licet in cæteris judicio adſtipulemur,

mur, quod de hoc libro ferunt *Acta Erud. Germ. Part. CI. p. 314. 326.*

§. LX

EX ſupra dictis patet, totam Naturam convenire in uno principio, ſcilicet in Activitate. Syſtema igitur omnium corporum creatorum rurſus unum corpus eſt, quia inter omnia corpora communis aliquis datur activitatis nexus, quo ſe invicem attingunt afficiuntque, partim per complexionem ſuarum analogiam, partim per earum contrarietatem. Analoga ſi percipiuntur, faciunt oblectationem & contraria averſationem. Utraque vero operatio magica eſt, quia occulte accidit & remotis ſenſibus modificatis. Corporum enim attactus, quem hic defendimus, non ſe invicem attrectando & palpando fit, ſed tantummodo operando. Atmoſphæra itaque multum hic conferre poteſt, quia ejus beneficio corporum effluvia in ſe invicem operari ſolent. Sunt vero effluvia hæc quaſi primarium vinculum, quo corpora in ſe cohærent & ſe invicem tangunt. Et horum effluviorum plena eſt tota noſtra atmoſphæra, quippe cujus eſſentia in eo conſiſtit, ut vapores ex terreſtri globo quotidie erumpentes ſurſumque elatos recipiat.

§. XLI.

EFfluviorum naturam ſi indagamus, nil aliud ea eſſe credimus, quam ipſas corporum operantium potentias, quæ ad ſibi analogon tendunt. Hæ ſi ſemel in actum venerunt, operari non deſinunt, niſi id, quod appetunt, inveniunt aut in ſua operatione turbantur. Obſervavit hoc in omnibus ſympatheticis magi-

gicisque morbis *Jo. Weſtphalus in Pathol. Dæmon. p. 32. ſqq.* Nam cum cuilibet corpori a Natura inſita ſit perceptio aliqua grati & ingrati, facillime quoque cujusvis alterius corporis operatio magica, quæ fit per effluvia, ſentiri & recipi poteſt. Videmus hinc tam mirabiles in morbis ſympatheticis effectus, quia corpora noſtra a natura prona ſunt ad recipiendum in ſe, quicquid in magica operatione intenditur. Si itaque odio impleta ſaga aciem oculorum in infantem direxit, cum firmiſſima hac intentione, ut eum faſcinet, infans ſtatim incantatur, quod vulgo dicimus beſchrien. Sicuti vero duplex datur in rerum natura *Magia*, vel *Naturalis* ſtricte ſic dicta, vel *Artificialis*, ſic quoque potentiarum naturæ occultarum non una eademque eſt excitatio. Quod citra omnem hominis cooperationem fit, ut magnetis attractio ferri, ad Magiam Naturalem ſtricte ſic dictam ſpectat; quod vero per occultas hominum artes, & ſic aliqua cooperatione in Natura excitatur, dicitur Magia Artificialis, quæ utique in ſe naturalis eſt.

§. XLII.

UTraque Magia in ipſo latet homine. Quo fortiores vero ſunt animæ vires, eo infirmiores contra operationes magicæ. Animæ enim operationes ſemper adverſæ ſunt operationibus corporis. Hinc ut plurimum vetulæ & quibus non eſt mens fortis & acuta, criminis Magiæ rei deprehenduntur. Certa quoque temperamenta huc faciunt, inprimis melancholicum, quod hominum mentes multis ita concitat viſis, ut triſtes ſemper, taciturni, ſubhorridi atque in-

culti videant. *Ariſtoteles* propterea cenſebat, eos habere aliquid in animis præſagientis atque divini, ut teſtatur *Cicero divin. 1.* Animus jam non eſt, totam hic exponere Magiæ artem. Miſſa potius facimus, quæcunque huc ſpectant, & in ſola paululum ſubſiſtemus doctrina de imaginatione, quæ uti plurimum in Magia efficit, ita plurimum quoque ad explicationem nocivæ illius oparationis confert, quæ in mortuis maſticantibus ſolet animadverti.

§. XLIII.

IMaginatio nobis hic nil aliud eſt, quam quod vulgo dicere ſolemus *Phantaſiam.* Hæc Phantaſia variis excitari poteſt cauſis & menti ita interdum inhæret, ut nullo modo exſtirpari poſſit. Nimium hinc excitata furorem præbet, ut in herbis videmus, quæ vim phantaſticam fovent e. g. hyoſcyamus, cujus virtute multoties hominum imaginatio ita excitata eſt, ut in furorem propterea verſi ſint homines. Plures qui diſcere vult imaginationis effectus, Scriptores conferat, qui ex profeſſo de iis ratiocinati ſunt. Noſtrum enim jam non eſt, pluribus iisdem immorari. Hæc ſaltem adhuc allegaſſe non pœnitebit, quæ de ſingularibus morborum curationibus per imaginationem diſſeruiſſe legimus *Weſtphalum in Pathol. Dæmon. p. 44. 49.*

§. XLIV.

QUod vero imaginatio ad operationes magicas plurimum conferat, vel exinde patet, quod ea ſola in alterius corpus poſſit fieri operatio. Teſtantur hoc in-

Digitized by Google

inprimis mulieres gravidæ. Quanta non interdum earum phantaſia in utero materno gignit monſtra, quæ nil aliud quam effectus ſunt magicæ cujusdam operationis? Perſonatus ille *Philagrius le Roy* totius univerſi compagem propterea comparat mulieri *in Philoſ. Radic. Elect p. 532. in qua compage unus atque indiviſibilis Spiritus, totus in toto & totus in qualibet ejus parte per diverſas ideas rebus impreſſas & moventes Spiritus Mundi phantaſiam diverſa ſibi imaginetur.* Concurrit autem imaginatio ad Magiam vel ut *principium primarium*, vel ut modo *ſecundarium.*. Principium primarium ea dat in faſcinatione & incantamentis imo & in morbis per metum excitatis, prout docemur a *Theophr. Paracelſo* & *Helmontio* in Tractatibus *de Peſte*; Secundarium vero principium præbet, quando tantum per accidens aliquid ad Magiam confert, ut exemplo nobis eſt fiducia ægri in medicum & medicinam, de qua *Gottlieb Friderici* ex profeſſo conſcripſit Diſſertationem. Quo vero vehementior & intenſior eſt imaginatio, eo plus ſemper facit ad operationes magicas. Adhibent propterea ſagæ in artibus ſuis occultis ut plurimum magicas herbas, imaginationem magis excitantes: quod etiam efficere credimus cæremonias illas characteresque, quibus ſumma cum ſuperſtitione aniculæ infernas ſolent elicere umbras, etiamſi ne ipſæ quidem intelligant, quid iisdem velint, quidque ſignificent. Collegit varia exempla de hac Magia ſuperſtitioſa Autor quidam anonymus in Libro Gallico, cui titulus eſt: *Secrets merveilleux de la Magie naturelle & cabbaliſtique, a Lion 1706.*

§. XLV.

NUlli interim negamus, Spiritus interdum quoque ad excitandam imaginationem adeoque ad Magiam concurrere, ſed eorum interveniendo non quidem ceſſat naturalis operatio. Spiritus enim in Naturam operari non valent, niſi ipſius Naturæ beneficio. Quapropter etiam maleficiis diabolicis reſiſti poteſt rebus naturalibus, ut prolixe docet *Marcus Marci a Kronland in Philoſ. vet. Reſtit. p 565.* Curationem vero & ſigna, quibus maleficia hæc ab aliis morbis diſtinguere poſſumus, omnium optime oſtendit *Carrichterus in Tract. de Cura morborum magicorum*, qui adjunctus eſt *Mercklini* Libro *de Incantamentis.* Faſcinum in ſpecie quod attinet, nil aliud eſt, quam noxa, quæ vegetantibus corporibus infertur per imaginationem magicam. Vocatur vulgo das Beſchreyen, de quo exemplum prorſus ſingulare adducit illuſtriſſima *Comes d' Aunoy in Itiner. Hiſpan. Tom. I. p 214. ſqq.* Convenit autem hoc Naturæ in quantum animalium quæ tenuioribus ſunt corporibus, uti infantes, exhalationes e. g. Lux oculorum, halitus corporis ect. imaginatione nociva & motibus adverſis inficiuntur. Ulterius in hac meditatione progredi vetant artis hujus carceres, quos tranſcendere haud couſultum putamus.

§. XLVI.

EX præmiſſo hoc diſcurſu præliminari eoque ſatis prolixo facilius nobis erit, ad limam lineamque certam redigere, quicquid de mortuis in tumulo voracibus nobis adhuc reſtat exponendum. Cum ſemel enim nos ſponſione obſtrinximus *Benevolo Lectori*

Digitized by Google

ſtori, prodigium hoc ponderibus noſtris qualibuſcunque examinare, nunc demum iſtud excutiemus. Hungaricum quod fundamenti loco hic poſuimus, exemplum edocet nos convincitque, omnem mortuorum voracitatem imaginationi cuidam magicæ adſcribendam eſſe. Teſtantur hoc in Relatione ſupra allata omnes fere circumſtantiæ, inprimis eæ, quibus narratur, defunctum Plogojovitium homines in ſomno jacentes acceſſiſſe, ſe ſub eorum corpora poſuiſſe, eosque ita ſtrangulaſſe, ut tandem fato ceſſerint; item, quando porro narratur, uxorem ejus relictam effatam eſſe, quod mortuus ejus maritus ad ipſam veniſſet calceosque ſuos poſtulaſſet, & quæ ſunt cætera.

§. XLVII.

EXinde ſequentem in modum maſticantium mortuorum phænomenon *originem* ſuam cepiſſe arbitramur. Acciderit nempe aliquando, ut peſtilentiæ contagia admodum uſſerint genus humanum. Cum vero luis hujus flagrantia ut plurimum hominum imaginatione ſuſtentetur, ut infra demonſtrabimus, facile fieri potuit, ut homines per anxias noctes diroſque ſomnos feralibus imaginibus ita agitati ſint, ut quaſi in κορυβαντιασμὸν ceciderint & tandem peſtis tabe infecti occubuerint. Sicuti vero ardentiſſimæ imaginationi in arte magica & omnibus occultis corporum operationibus plurimum ſemper debetur, ita acciderit forſitan ut cujusdam ita mortui, relicti varias poſt mortem ejus ſenſerint de eo imagines, quibus defunctus tam vehementer in eos operatus eſt, ut tandem φρενῖτι aut alio ejusdem generis morbo brevi poſt deceſſerint.

Superſtites idem timentes verba morientium ſecum animo volutarunt & cum inter alia ab iis perceperunt, defunctum ad ſe veniſſe, ſeque vario modo vexaſſe, conſtituerunt, ejusdem cadaver effodere & inquirere, quid cauſæ ſit, cur moribundi ab ipſo tantis animi viſis torqueantur. Cadavere demum effoſſo forte fortuna vegetum illud adhuc ſecundum noſtras ſupra allatas rationes deprehenderunt, quo tanto fortaſſe perculſi ſunt ſtupore, ut præ admiratione rei tam atrocis quaſi defixi ſteterint. Accedit, quod forſitan circa defuncti pectus aliquid veſtimenti, ex cauſis itidem ſupra in *Diſſ. prior.* §. *30. ſqq.* allegatis, dilaceratum, aut ſaltem ex ſua plicatura eductum ſit. Hoc portenti ſimile ſuperſtitioſam plebem ſtatim in ſententiam traxit, quaſi defunctus in tumulo veſtes voraverit; & quia ejusdem ſimul propinquos ſingulari morte mori viderint, non potuerunt non id tali veſtium vorationi adſcribere. Hoc vero cum ſemel in ora anicularum tranſierit, quotidie novis additamentis in vulgus emiſſum eſt. Non itaque miraberis B. L. ſi tot tibi de mortuis in tumulo maſticantibus ad aures pervenerunt narratiunculæ? Quoties enim poſthæc ſeſe exeruerunt æquales in moribundis circumſtantiæ, uti jam notavimus, defunctum cadaver effoderunt & quicquid in iis obſervarunt ſingulare, in prodigium traxerunt. Et ſic exortum eſſe credimus de maſticatione mortuorum, quicquid nobis narraverunt patres.

§. XLVIII.

QUemadmodum vero ſemper aliquid veri ineſſe ſolet fabulis, ita quoque comparatum eſt cum

ma-

maſticatione mortuorum. Multa quidem *in Priori Diſſ.* de ea exploſimus ejecimusque, at non in totum tamen eam rejiciendam duximus. Remanſerunt enim duo adhuc phænomena exemplis ſatis probata. Unum jam ſupra excuſſimus, alterum vero adhuc ſub manibus ſudat, & eſt *Nociva illa in vivos operatio*, quam quidem jam adſcripſimus imaginationi cuidam magicæ, nondum vero ſatis confirmavimus. Verum ordine ut procedamus, primum demonſtraturi ſumus, dari omnino imaginarios morbos, quibus etiam mors oppeti poſſit, deinde planum quoque facturi, tali morte mortuos interdum magice in vivos operari.

§. XLIX.

IMaginationis vires, quas ſupra expoſuimus, multi ita evexerunt, ut cum *Avicenna de Animal. Sect. 4. c.* 4. crediderint, *imaginationis viribus hominem equo inſidentem, quamvis diſtantem, dejici poſſe, tempeſtates moveri & terræ motus, in nubibus ſimiles bombardarum ſtrepitus excitari tonitruis & fulminibus.* Confer *Caſpar. a Rejes in Camp. Elyſ. qu. 50. n. 21. p. 632.* Nos hiſce etſi non adſtipulemur ſomniis, non tamen diffiteri poſſumus, imaginationis vires interdum tantas eſſe, ut morbum imo mortem ipſam contrahant. Meretur ideo allegari *Joſ. Scaliger*, de imaginoſis morbis ita diſſerens: *imaginoſus morbus eſt φρενῖτις, quum φαντάσματα animo occurrunt. Alius eſt morbus imaginoſus κορυβαντιασμὸς Græcis dictus, quo laborant, qui patentibus oculis dormiunt & intutum ſomnum propter imagines & ſonores habent, quod ſuperſtitioſa vetuſtas a Corybantibus immitti credebat.*

Hinc

Hinc corybantiare, eo morbo vexari. Hæc & plura *Joſ. Scaliger in Catullo ſuo.* Huc pertinet etiam ephialtes, quo homines non aliter putant, quam incubum ad ſe venire, qui in eorum corpus ſe projiciat, ipſosque ita premat, ut præ anguſtiis animam pene efflarent. Multi eundem propterea ſpiritum naturalem & quidem elementarem nuncuparunt, qui lac & ſanguinem ſugat, ut præter cæteros docuit *Jo. Sophr. Kozack in Anatom. vital. Microcoſm. c. 17. p. 175.*

§. L.

HÆc imaginationis venena inprimis quoque ſentiunt homines tempore peſtis. Ipſe *Fridericus Hoffmannus* hoc non in totum negare vult, quando *in Diſſertationibus Phyſico-Medicis Tom I. Diſſ. VII.* ubi agit *de peſte*, expreſſe docet, luem hanc ex corporis humani putredine oriri, mortuis vero timore ali & propagari. Omnium prolixiſſime de hac re commentatur *Jo. Samuel Carlius in Libro* vom Peſt-Engel. Quoties enim ſuo arbitratu, ut jam ſupra *in priori Diſſ.* monuimus, anima humana a principio ex ſuperiori mundo intelligibili manante terreatur & penetranti Magia afficiatur, præ metu ac timore mixtionem ſuam deſinat & interiori putredini relinquat. Recenſent nobis hæc *Acta Erudit. Germ. P. LXXIV. p. 110.* Hypotheſin hanc etſi noſtram facere erubeſcimus, non tamen negare audemus, peſtem omnino rem ita terribilem eſſe, ut tum tota hominis natura in artubus ſuis mortem jam ferat, antequam eam adhuc ſentiat. Cernimus iſto tempore patrem & matrem, fratrem & ſororem, uxorem & infantem, vicinum & af-

finem

Digitized by Google

finem intra breviſſimum temporis ſpatium decedere, quorum repentina mors relictorum mentes ita concitat, ita imaginibus obruit, ut ſui non ulterius compotes ſint, & quotidie velut ſomniantes falſis mendacibusque viſis agitentur.

§. LI.

IDem accidiſſe credimus plebeculæ illi Hungaricæ, quæ defunctum Plogojovitium ſuorum cædis arguit. Bonus iſte vir mortuus eſt aut morte ſubita aut violenta. Quæcunque fuerit, in ejus relictis cauſari potuit viſa, quæ ipſis poſt illius mortem obvenerunt. Subita mors plerumque in relictis efficit ſolicitudinem. Solicitudinem comitatur triſtitia. Triſtitia gignit melancholiam. Melancholia cauſatur inquietas noctes graviaque ſomnia. Et gravibus denique ſomniis & animi & corporis vires ita debilitantur, ut non modo morbus, ſed & ipſa mors inde veniat. Subita mors præter hæc ex morbis oritur acutis, quorum malignitas communiter contagioſa eſt, inprimis ſi mens eos nimis reformidat, ut videre eſt in omni morbillorum variolorumque genere. Solet quoque in talibus morbis ardentibus corporis æſtus cerebrum occupare & ad quasvis ſibi concipiendas imagines idoneum reddere.

§. LII.

PLogojovitium violenta morte mortuum eſſe jam ſupra ad §. XXVI. ſuſpicati ſumus; quod ſi veritate fundatum ſit, quid quæſo mirum, ſi relictorum animus variis concitatus fuerit imaginibus. Nihil enim miſeri-

ſerius eſt, quam animus hominis conſcius. Qui ſemel conſcientiæ ictus ſentit, ſcelerum pœnis agitatur & a mente conſilioque deducitur: imo ſecundum *Lucretium Lib. III.*

præteritis admiſſa annis peccata remordent.

Quid igitur non fieret præteritis ſaltem aliquot hebdomadibus ut in noſtro exemplo? Uxor relicta mortis mariti ſui omnium maxime videtur fuiſſe conſcia, quapropter nullibi quoque commorari potuit, ſed ob nimios conſcientiæ morſus, quos ſenſit, ex uno loco in alterum ſe contulit. Mulierum vero malitia tanta interdum eſt, ut ex omni parte nunquam ſatis exquiri poſſit. Quis nobis itaque vitio verteret, ſi putaremus, uxorem hanc ſuperſtitioſam plebem forſitan conſulto ad opinionem traxiſſe, qua crediderunt, defunctum Plogojovitium in tumulo maſticare, & ſic ex numero τῶν *Vampyri* eſſe? Hoc ſibi animo poſtea ita infixerunt pavidi homines, ut ex memoria rurſus deponere non potuerint, imprimis cum aliquot homines viderint ſubita morte obire.

§. LIII.

AD præcipuum nunc tractationis noſtræ caput devolvimur, quod agit *de magica mortuorum in vivos operatione.* Quo gravius vero ejus argumentum eſt, eo difficilior quoque nobis erit ejusdem elaboratio. Sed in ſpe agimus certiſſima, *Benevolum Lectorem* nobiſcum acquieſcere, ſi ipſi modo rei exiſtentiam demonſtraverimus. Pertinet enim ad myſteria & rerum phyſicarum abdita, quæ nemo ſufficienter indagabit, etſi totum ſe ad inveſtigationem naturæ contuliſſet. Quicquid autem hujus loci eſt, nititur hypo-

po-

Digitized by Google

potheſi, qua toti naturæ mutuum inter ſe adſcripſimus influxum. Mutuus vero hic influxus requirit innumeras corporum potentias, ſeu, ut alii dicunt, ideas, quibus ſe invicem afficiunt. Hæ autem potentiæ cum ſemper aliquid in ſe habeant deſiderii, poſſunt varia ratione excitari, & ita quidem, ut ad hoc & non ad aliud tendant objectum. Quando itaque homo validiſſima ſua imaginatione ideas potentiasque ſuas ad certos homines vel ad benedicendum vel maledicendum dirigit, illæ ſtatim in ipſos occulte operari incipiunt. Animadvertimus hoc, quoties dicere conſvevimus: *lupus in fabula.* Huc etiam quadrant omnes divinationes, omnes faſcinationes & quicquid ad doctrinam de animalium in ſe invicem ſympathia & Antipathia, ſpectat.

§. LIV.

HÆ vero potentiæ per intenſiſſimam imaginationem excitatæ ne quidem poſt hominis mortem ceſſant, ſed operantur, quamdiu non in ſua operatione turbantur. Veniunt hinc omnes illæ mortuorum apparitiones, quibus relicti mox poſt eorum obitum in ſomno interdum admodum torquentur; item, ſi mortuum in morte mox aliqui ſequuntur, qui cum ipſo magnum in vita habuerunt commercium. Notatu digna ſunt propterea verba, quæ *Theophr. Paracelſus Tom. II. Fragm. de virt. Imag p 276.* ſequentis habet temporis: *quando gravida tempore peſtis in partu relicta & omni auxilio deſtituta doloribus partus moritur, facile conjiciendum eſt, qualem tunc habeat imaginationem. Si enim cogitat, cum ego jam & partus meus tam miſere mori debeamus, vellem ut*

omnes

omnes ſimul nobiscum moriantur homines; non dubium eſt, quin duplex inde in vivos ſequatur luis venenum. Meretur hic quoque allegari *Marcus Marci a Kronland* cum ſingulari ſua obſervatione, quam de ſanguine interfecti cadaveris interfectoris imaginatione moto *in Philoſ. Vet. Reſtit. p. 406.* hiſce pronunciat verbis: *fieri poteſt ut culpa prorſus alienus hac via in ſuſpicionem quandoque veniat, ſi nimirum prope mortem conſtitutus, ejusdem autorem falſo ſuſpicetur, eaque imaginatione fortiter impreſſa vitam finiat, cujusmodi phantaſia imbutam puellam annorum XIV. hic Pragæ novi, quæ ab alia ſibi venenum datum, eaque de cauſa mori debere opinabatur, periit autem tetano ac convulſionibus. Tertio die, ex quo deſierat vivere, dum ſepulchro inferretur; & perſona illa ſuſpecta ſuperveniret, mox ſanguis e naribus profluere cœpit.* Recitat hoc ultimum quoque *Bohuslaus Balbinus in Miſcell. Boh. p. 216.*

§. LV.

EX dictis hiſce patet, non adeo mirum videri, quod mortuus Plogojovitius poſt obitum intra octo dierum ſpatium ad novem perſonas enecaverit. Multas, quas quidem neſcimus, cum vicinis forſitan habuerit rixas, quæ eum ita ergo ipſos imbuerint odio, ut ne quidem in morte quieſcere potuerit. Poſſunt aliæ adhuc quoque adfuiſſe cauſæ, quæ imaginationem ejus in morte adverſus hunc vel alterum excitavere, quarum circumſtantiæ nos ob longinquitatem loci plane fugiunt. Quod vero de uno licet affirmari exemplo, nec in pluribus negari debet. Quoties itaque nobis

bis de mortuis in tumulo maſticantibus aliquid ad aures pervenit & mirum ſimul hunc percipimus effectum, quod ſcilicet multi iſtius loci incolæ propterea ſubita morte perierint, indagatu nobis facile erit, quidnam hujus rei cauſæ ſit. Cæteras ut jam taceamus circumſtantias, quæ tum in tali caſu examinandæ venirent, mortuorum modo vitam ante actam explorare debemus & inprimis inquirere, quibus animi affectibus defuncti ſint. Certus ſum atque perſvaſus, ſtragis iſtius cauſam ut plurimum non in alia re quam in magica aliqua imaginationis operatione ſitam eſſe, ad quam vero detegendam omnia jam ſubminiſtravimus neceſſaria.

§. LVI.

At nunc a re non alienum videtur, ſi vulneribus hiſce quoque medelas præſcribere tentemus. Ad aniculas ſi conſultum iremus, haud difficile foret, maſticantium cadaveribus os obthurare, eorumque edacitatem ita frenare, ut nemini ulterius ſint moleſta. At quis ſuperſtitionibus operaretur, cum iis ſuperſedere poſſit? Communiſſimum in hoc caſu conſilium in eo conſiſtit, ut maſticans cadaver capite truncetur. *Hercules Saxon. c. xi. de Plica* ſequentem propterea enarrat auditionem: An. 1572. graſſatur peſtis in tota Polonia. Effertur cadaver cujusdam mulieris ex pago Rhezur & ſepelitur in ſuburbio Leopolitano ad ædem exaltationis crucis. Mox incipit peſtis in vicinis domibus ſævire. Illi, quibus funeris cura erat, ſuſpicantur, mulierem hanc ſagam fuiſſe. Effoditur cada-

ver & deprehenditur nudum. Quilibet inde conjicit, ſibi veſtes devoraſſe. Abſcindunt ei caput bipalio & iterum defodiunt: quo facto peſtis ceſſat. Plebem in Hungaria haud ſecus feciſſe comperimus. Simul ac enim mortis ſuorum cauſam ſe inveniſſe rata eſt, palum exacuit, cum quo cadaver transfixit & tanto quidem cum furore, ut in his non acquieverint, ſed iſtud denique in rogum miſerint & ad cineres redegerint.

§. LVII.

ERrorem num in hac commiſerint executione? non opus eſt quærere. Suſpicatur id quidem *Cæſareus Proviſor* ſub finem relationis ſuæ, at nos non quidem ſuſpicamur. In animis ipſorum etſi magnus latuit error, magnumque præjudicium, id non tamen ſic in ipſa executione. Optimum omnino medium in tali caſu & nos eſſe credimus, ſi ſtatim opera datur, ut ejuſmodi corpus deſtruatur & redigatur ad cineres. Hoc enim facto omnes potentiæ operatrices in operatione ceſſant. Quibus ceſſantibus ceſſat etiam damnum, inde in vivos promanans. Miramur itaque *G. P. Müllerum*, haud infelicem alias Philoſophum, qui *in Philoſ. Facult. ſup. accommod. P. 1. Sect. III. c. 2. §. 15.* ad partes ſuperſtitioſæ plebis tranſiiſſe videtur. Hæc enim glebam terræ recens effoſſæ ſub ſepeliendorum cadaverum mentis ponit, quo ſe vetuiſſe cadaverum maſticationem & quicquid in ſui perniciem inde ſequatur. Dreſdæ linteum ſeu collare ſolent firmiter affigere mortuis & id itidem non aliam ob cauſam, quam ut defunctis præcludatur manducan-

ducandi occaſio. *Mullero hoc in Diſcurſu ad c. I.* non abs re eſſe videtur. *Corpus enim defuncti ſi includatur,* inquit, *ſarcophago, omne ſimul commercium aëris externi intercludi: quapropter excaleſieri elementa ibidem incluſa, ut teſtetur hoc calidus vapor ex clauſis ſarcophagis emergens. Si itaque in hoc calore principium vitale univerſale incipiat operari, ejus effectum conſiſtere in attractione verſus aliquod centrum, quia juxta ſuam ſomatol. c. IV. §. 7. & 12. formarum motus ſit attractivus. E. corporis aperturas non debere occludi. Cum vero per obthurationem oris & veſtium attractionem in os aëris in corpore putreſcente reciprocatio impediatur, ſequi inde, ut ideæ ſ. potentiæ morbi in cadavere exacerbentur. In corpore enim mortuo manere materiam morbi. E. ideas morbi excitatas in corpore fieri venenoſas & ita nocere poſſe corporibus analogis.* Hæc Mullerus.

§. LVIII.

SI e re noſtra foret, haſce allegetas jam examinare rationes, non adeo difficile nobis eſſet, iſtas refutare, contradictioniſque accuſare. Comprehendere enim non poſſumus, quomodo obthurato ore veſtium in os fiat attractio, nec diffiteri, neſcire nos, quid velit verbis de occludendis corports aperturis. Veſpillonum moris de ſupponendis defunctorum mentis glebis, mentionem quidem injicit, quem tamen ſimul improbaſſe non legimus. Hujus farinæ ſine dubio quoque forent ænigmata, quæ in *Schwimmeri Curioſit. Philoſ. Secret. Diſ. IV.* dete-

Digitized by Google

genda credimus ſi nobis modo datum eſſet, eas introſpicere. At contra melioris nobis in hac re videtur eſſe frugis *Phil. Rohrius in Diſſert. de Maſt. Mort. c. II. §. 16.* ubi prolixiſſime de remediis huic malo averruncando adhibendis commentatur. Hic enim non poteſt non deridere conatum, quo vulgus periculum maſticationis vult avertere ſupponendo defunctorum mentis glebam. Vulgum in his ſectari credit Judæorum ſuperſtitionem, quam nobis *Mart. Geyerus de Luctu Hebr. c. V. §. 10. p. 61.* recenſet ex libro Minhachim, in quo præceptum eſt: *cavendum, ne mortuo aliquid de* תכריכין *ſ. linteis feralibus in os veniat, alias* סכנה *periculum.*

§. LIX.

JUdæis non felicius olim deliraſſe legimus certos Chriſtianos, quorum morem *Garmannus* ſatis prolixe depinxit *c. l. Lib. III. Tit. III. §. 7. p. 28. Mortuo*, inquit, *priusquam os claudatur, lapidem & nummum ponunt in ore, ut ſi in ſepulchro mordere incipiat, lapidem & nummum inveniat & morſu feriatur.* Hujus relationis veritatem teſtatur quoque *Rollenhagius*, qui *Libr. IV. mirab. peregr. c. XX,* expreſſe refert, *ſuo tempore in ſaxonia multis in locis ori defunctorum inſertum eſſe cum nummo lapillum.* Abſurdus ille ritus veteris Eccleſiæ, quem manifeſte oſtendit *Carthaginenſis Synodi III. Canon ſextus*, pari paſſu cum hoc ambulat. Teſte enim *Hiſtor. Goth.* defunctis & baptiſmi & Evchariſtiæ Sacramentum non ſine abuſu ſoliti ſunt conſecrare, nummique loco adhibere hoſtiam, quam defuncto-

rum

Digitized by Google

rum ori illatam vel pectori impoſitam ἐφόδιον nuncuparunt. Cujus rei exemplum notatu digniſſimum profert *Gregorius Dialog. Lib. II, c. XXIV.*

§. LX.

NOſtram ſi licet hic adducere ſententiam, diſſvademus omnia, quæ ſuperſtitionem redolent, remedia. Optimum in tali caſu nobis viſum fuit infucata cum moribundis reconciliatio & quorumvis præteritorum in ſe oblivio. Sic placato corde placide obdormiunt & ulterius in vita hac nihil appetunt. Imaginatio eorum manet ſopita & ceſſante cauſa nunquam fit magice in vivos operans. Cæterum ſi hoc non obſtante aliquid accideret, quod ad phænomenon noſtrum ſpectaret, ejusdem parum habere rationis, conſultiſſimum eſt. Omnis enim animi perturbatio eſt quaſi operationis magicæ nutritio. Verum ſi & hoc nullius foret uſus, optimum denique erit, corpus effodere & operationem ejus nocivam quavis deſtructione tollere.

Hæc ſunto, quæ *de Maſticatione mortuorum* Tecum, *B. L.* jam viſum eſt communicare.

S. D. G.

INDEX
Rerum Memorabilium.

A.

ALexandri M. cadaver incorruptum. 58. 73. 76
Anima, an in ea proprie conſiſtat vita hominis? 65. ſq. num poſt mortem ſtridat? 28. ſq.
Antipathia, ejus fundamentum. 10. 83. exemplis corroboratur. 10. ſq.
Aphrodiſiaca, quantum ad erectionem penis faciant? 81
Archeus mundi, quid ſit? 63
Aſuiti ſpiritus. 37
Atmoſphæra, quid ſit. 84
Azazel, quid Judæi de hoc angelo ſtatuant. 34

B.

Balſamus vitalis, quid ſit? 63. ſq.
Barba, cur in mortuis creſcat? 76. ſq.
Beſchreyen, quid ſit? 85. 88
Bonifacii VIII. Pont. Max. cadaver incorruptum. 58

C.

Cadavera maſticantium deſtrui debent - - -
Cæmeteria, unde ibidem ſpectra? 27. ſq.

Ca-

Capitis abſciſſio in maſticantibus cadaveribus, an neceſſaria? - - - -
Caroli V. Imp. Rom. poſt mortem incorruptio. 58. 68. ſq.
Carthaginenſe concilium III. - -
Cerebrum, an in aqua maneat incorruptum. 71
Characteres ſuperſtitioſæ, quid ad operationes magicas faciant? 87
Conſcientia mala, ejus morſus. 94
Corpora an omnia mutuo ſe magice attingant. 10. 84
Corpus humanum ejus vita. 54. 65. quomodo in morte ſolvatur? 67. 68. ſq. ex quibus elementis compoſitum ſit? 68. an reddita anima poſſit vividum manere. 66. 68. quotuplex ejus poſt mortem cruentatio? 78
Cruentatio corporis defuncti, quotuplex. 78
Cutis, ejus ſtructura & indoles. 77. quomodo decorticetur? ib.

D.

Dæmones eorum exiſtentia in dubium vocatur 25. ſq.
Deus, an ipſi omnia Mirabilia Naturæ competant? 8. ſq. quomodo univerſum hoc creaverit. 62
Diabolus, an ipſi omnia Naturæ mirabilia, quæ Deo non adſcribi poſſunt, competant? 8. ſq. an habeant in homines jus vitæ & necis. 23. ſq. quid per incuſſionem terroris intendat? 47. vide ſpectra.
Divinationes, unde veniant? 95

E.

Effluvia corporum, quid ſint & valeant? 84

Digitized by Google

Elementa, quotuplicia? 64
Ἐντελέχεια Ariſtotelis, quid ſit? 63
Ephialtes, quid ſit? 92
Eurynomus, qualis ſpiritus? 36. ſq.
Extenſio, an ea ſola conſiſtat materia prima? 62

F.

Fœmina, an Diabolus eas præ maribus diffamandi rationem habeat? 45. cur earum cadavera inprimis præbeant maſticationis mortuorum exempla? 44. ſq.
Faſcinatio, quomodo fiat? 85. 88. quid ſit? 88.
Fœtor cadaverum, an alterius mortem cauſetur? 49
Forma univerſalis, quid ſit? 63

G.

Geyerus Mart. Theologus, notatur. 35
Gleba terræ cur ſub mentis ſepeliendorum ponatur? - - . .

H.

Homo, conſtat ex duabus tantum partibus eſſentialibus. 64. ſq. mors ejus a morte corporis diverſa. 55. 65. habet corpus per ſe vividum. 64. ſq. uno nexu cum tota Natura cohæret. 67
Hungarica terra, an ad incorruptionem corporum aliquid conferat? 72
Hyæna, carnivora beſtia. 38

I.

I.

Imaginatio eſt fallax. 31. quantum in Magia Naturali? præſtet 87. ſq. quomodo excitari poſſit? ib. ejus vires. 91. quantum in peſte valeat? 92. ejus venena in alterius corpus. 95. eſt ſopienda - - -

Incorruptio corporis an ſanctimoniæ ſignum. 56. ejus cauſæ ſpuriæ. 60. ſq. cauſa naturalis genuina exponitur. 61. ſq.

Judæi, quid de eſu mortuorum ſubterraneo ſtatuant? 34. defenduntur. 34. ſq. quid de corporum incorruptione ſentiant? 56. eorum ſuperſtitio.

K.

Κορυβαντιασμὸς, qualis morbus? 91

L.

Lapilli, cur in ſepultorum ore reperti - - -

Lupus in fabula: proverbii hujus veritas. 95

Mabillon, Joh. quid de corporibus ſanctorum incorruptis putet. 56

Magia Naturalis, ejus fundamentum. 83. quotuplex? 85. ejus ſpecies. 11. cur exoſa & inculta. 12. ſq. ejus uſus. 13. qui crimine Magiæ inprimis rei. 85. inſtrumentum ejus, quod? 87. quomodo operetur in alterius corpus. 95

Magnetiſmus Naturæ, quid ſit. 10

Malefici ad ſupplicium dandi, an ſtimulos habeant? 81

Maſticatio mortuorum, num in dubium vocanda? 12.

12. teſtimonia & collecta exempla de eadem. 14. ſqq. non eſt miraculum divinum. 19. ſq. nec prodigium diabolicum. 21. ſq. quid in ea removendum & refutandum? 27. ſq. an in cadaveribus fœminis inprimis exiſtat? 44. ſq. an tantum tempore peſtis accidat. 46. ſq. an propinquorum mortem ſolum arceſſat. 50. ſq. ejus origo & hiſtoria. 89. ſq. genuina cauſa. 94. ſq. quomodo impedienda - - - optimum medium - - - -

Materia prima, ejus affectiones. 62. ſq. fuit per ſe vivida. 62. non in ſola extenſione ſubſiſtit. ib.

Mechanici, cur omnes qualitates occultas rejiciant? 8

Menſtruum, quid ſit? 67

Menta ſepeliendorum, cur ſub ea gleba terræ poni ſoleat? - - - -

Metallifoſſor poſt 30. annos ex fodinis incorruptus refoditur. 59. ſq.

Metus, quantum in animis hominum valeat? 31. 47. ſq. an cauſa peſtis. 47. ſq. an ad erectionem penis faciat? 81

Mirabilia Naturæ, cui vulgo adſcribuntur. 9

Miraculum verum, quid ſit? 18. quotuplex? 19. ſq. quid miraculum doctrinæ? 19. ſq. quid miraculorum providentiæ? 20. ſq.

Miſena, urbs Miſniæ, quale exhibeat ſingulare epitaphium. 41

Morbi imaginoſi, quid ſint? 91

Mors corporis a morte ipſius hominis diverſa. 55. 65

Mortui an in tumulis poſſint mandere? 27. ſq. an magice in vivos operent? 94. ſq. num interdum

veſtes

veſtes ſuas ferales devorent? 33. ſq. mortuorum corpora cur Romani combuſſerint? 50. vide Maſticatio.

Muhamedani, quid de ſtatu mortuorum credant? 35. ſq. non timent peſtem. 48. ſq.

Müllerus God. Pol. notatur. 62. refutatur - - -

Mus Judaicus lethifer, quid ſit? 35

Mures, an corpora mortuorum devorent? 42

N.

Naſus, cur in mortuis facile collabatur? 75. ſq.

Natura plena occultis potentiis. 8. ſq. ejus vegetantia. 62. ſq. tota in ſe cohærens. 63. ſq. 84. ejus ſenſio univerſalis. 83. ejus mirabilia num tantum vel Deo vel Diabolo adſcribenda? 9

Nummi, cur in ſepultorum ore reperti?

O.

Opium, an ad incorruptionem faciat? 73. ſq.

P.

Penis erigitur in mortuis. 80. quid cauſæ? 80. ſq. ejus natura & ſtructura. 81. ſq.

Peſtis, an ejus tempore inprimis maſticatio mortuorum accidat? 46. ſq. unde hæc opinio? 46. an metu propagetur? 47. eſt per ſe contagioſa. 48. ſq. ejus cauſa ex mundo ſpirituali. 49. 92. quantum imaginatio huc conferat? 92

Phantaſia vide Imaginatio.

Philoſophi, qui omnia in Natura vel Deo vel Diabolo adſcribunt, taxantur. 8. ſq.

Pili,

Digitized by Google

Pili, cur in mortuis creſcant? 76. ſq.
Pingvia corpora non facile putrefiunt. 71
Pontificiorum Sancti notantur. 55
Putrefactio, quid ſit & quomodo fiat? 69. ſq.

Q.

Qualitates occultæ defenduntur. 8

R.

Reconciliatio cum moribundis, qualem uſum? -
Romani, cur corpora defunctorum combuſſerint? 50

S.

Sanctimoniæ ſignum, an incorruptio corporis poſt mortem? 56. ab ipſis Papicolis in dubium vocatur. ib.
Sanctorum copia apud Pontificios vapulat. 55.
Sangvis, an & quamdiu in defuncto corpore poſſit integer manere? 79
Sarcophagus, quando corruit, quid inde vulgo putetur? 30
Sarmatæ veteres, quid de ſonis feralibus crediderint? 28
Senſio totius Naturæ, quid ſit? 63. 83
Sepulcbra, unde in iis ſoni ferales? 28. ſq. 30. ſq. num vivorum an mortuorum gratia inventa? 50
Serpentes, an ament carnes hominum? 40. an ex medulla ſpinali generentur? ib. an corpora mortuorum devorent? 43. ſq.
Soni ferales unde? 27. ſq. ethnici quid de iis crediderint? 28. ſq.
Spectra, quid ſint? 22. an & cur in cœmeteriis &

Digitized by Google

& in locis, ubi homicidia facta ſunt, inprimis conſpiciantur. 27. ſq.
Spiritus, eorum in corpora mutuus influxus. 10. an dentur intermedii? 25. ſq.
S. Spiridion, an ejus corpus incorruptum adhuc ſervetur? 57
Striges, quales aviculæ? 38. ſq.
Sympathia, ejus fundamentum. 10. exemplis demonſtratur. 10. ſq. 83

T.

Temperamenta, quantum conferant ad incorruptionem corporum? 70. ſq.
Turcæ, vide Muhamedani.

V.

Vampyri, quid ſint in Hungaria? 16
Vegetantia Naturæ, quid ſit? 63
Veneficiis diabolicis, an rebus naturalibus poſſit reſiſti? 88
Venena, cur ad incorruptionem cadaveris faciant? 73
Vetulæ, cur inprimis Magiæ criminis ſuſpectæ? 85
Vita datur in homine duplex. 65. ſq.
Vitalitas, affectio primæ Materiæ. 62. ſq. ejus proprietates. 63
Ungves, cur in mortuis creſcant? 76. ſq. ex qua materia conſtent? 77
Upiers, quid ſint in Polonia? 15

Er-

Digitized by Google

Marquards Kirchhoffs Gedancken. 12.
Meiers Anleitung zum tägl. Sterben. 12.
Menandri Troſt für Einbildung eines ſchnellen Todes. 8.
Molleri Sterbe-Kunſt. 8.
Olearii Sterbe-Schule. 8.
= = verſüßte Todes Bitterkeit. 12.
Lembachs Hiſtoriſche Todes-Poſt. 12.
Haaſens Geiſtl. Hauß-Beſtellung über die Evangel. 4.
Hilſchers andächtige Sterbe-Geſellſchafft mit K. 4.
Junghauſens Evangel. Sterbe-Kunſt. 8.
Langens Sterbe-Kunſt. 4.
Schweinitzens Todes-Gedancken. 8.
Wächtlers Memento, Diſce, Gaude, Mori. 8.
Rothſcholtzens Todten-Schule. 12.
Sennerti Vorbereitung zum ſeel. Sterben. 12.
Serre Todes-Gedancken. 12.
Wieders Evangel. Leichen und Sterbe-Poſtill. 4.
Weiſens Todes und Sterbens Gedancken.
Die ſeelige Sterbe-Kunſt. 8.
Ohnfehlbahre Sterbe-Kunſt. 12.
Eines Sterbendens letzte Lebens Erquickung. 8.
Sterbens-Gedancken und Seuffzer. 12.
Söltzlings Geiſtl. Hauß-Apothecke. 12.
Krancken-Apothecke. 8.
Haußbuch vor Krancke und Sterbende. 8.
Brinckmanns Lebens und Sterbens-Lehre. 8.
Pearſe Todes Vorbereitung. 12.
Geiers Todes-Gedancken. 12.
Mornavii Lebens und Todes-Betrachtung. 4.
Klemmens Todes-Gedancken. 12.

(o)

Digitized by Google